goTok.

Wyk.cu

g. A. Evenkelius : De privilegiis

1607

GEORGII ACACII ENENKELII
BARONIS HOHENECCII,

DE PRIVILEGIIS MILITVM ET MILITIAE,

Libri duo:

ET DE PRIVILEGIIS VETERANORVM,

Liber Vnus.

Cum Indice rerum & verborum.





FRANCOFVRTI,
E Collegio Musarum Paltheniano,
M. DC. VII.





SERENISSIMO PRINCIPI
DOMINO MATTHIAE
ARCHIDVCI
AVSTRIÆ, &c.

Georgius Acacius Enenkel. B. H.

SALVTEM ET PROSPERITATEM.



Nter omnia studia & decora generis humani, per quæ ex paruis obscurisque rebus nomen sibi aut opes facere consueuere mortales, longe Principem ars militaris & belli gloria locum omnibus seculis tenuerunt. Cuius, ne longius abeam, vel soli tui, Princeps Serenissime & Clementissime, maiores insignia nobis & plurima documenta dederunt. Nam, vt ab conditore domus Austriacæ Rudolfo Cæsare ordiar, illum ab

exiguis initiis minimisque rebus sola pene militari virtute ac gloria, non modo nomen magnum magnasque opes, sed Augusti insuper Imperii Romani sceptra & gubernacula suæ domui intulisse, & ad posteros, vbi nunc quoque vigent illa pollentque, gloriose propagasse videmus. Nec illa tantum, sed quod præcipuum est & memorabile, illum ipsum militarem animum suum, illam vim, illos spiritus, posteris quoque suis ita penitus indidit atque ingenerauit, vt cum nomine & titulis quasi hereditariam militiæ armorumque gloriam Austriæ Princeps accepisse videatur. Id quod præter historias & res ab hisce clarissime gestas, vel sola cognomenta iis prisco more facta ostendunt: quibus ille Gloria militum, hic Militiæ decus, alius Magnanimus, alius Ferreus, ille Pugnax, hic Bellicosus, non vanis, sed ab studiis eorum ingeniisque deductis nominibus insigniti leguntur. Maximilianum certe Primum, Imperatorem bellicosissimum & promtissimum, vt patrem suum & conditorem etiam hodie milites Germanici cantant. Carolum vero Quintum, illum vere & multis de caussis Maximum, seu promtitudinem studiumque armorum, seu peritiam belli & militiæ, seu victoriarum multitudinem & excellentiam tueamur, omneis omnium

ætatum

ætatum Imperatores ac Duces antecessisse, certe æquasse, nemo dubitabit. Pater quidem tuus D. Maximilianus Secundus, quantum seu ingenio inclinante, seu tempore ita postulante, ab armis alienior visus fuit, tantum optatissima saluberrimaque pace ac concordia Imperium, Regna ac Prouincias suas, & fouit & conseruauit. Vtriusque consilio admiranda quadam ratione vsus Rudolfus Imperator noster, ipse quietus intentusque, tot iam annos, totius Imperii, Regnorumque suorum viribus atq; opibus: cum omnium potentissimo hoste bellum gerit, quod siue diuturnitatem, siue magnitudinem & atrocitatem, siue victoriarum amplitudinem, siue varietatem denique fortunæ & casuum spectes, omnia superiorum Imperatorum cum eodem barbaro gesta bella longissimo post se interuallo relinquit. Cuius quidem tanti & tam memorabilis belli, Teipsum, Serenissime & Celsissime Princeps Matthia, multos iam annos Ducem & Rectorem, gloriam virtutemque maiorum non leui opera ac materia æquare proposuisse videmus. Quo successu ac felicitate, dicerem lubens: ni iustus quidam pudor res omnium oculis expositas apud teipsum aliosue laudare vetaret. Difficile enim est, vt assentationis opinionem effugiat, qui Principem vel

in os præſentem, vel apud ſcienteis gnaroſque rerum illius, laudare velit. Tibi laudem veram præmiumque rerum geſtarum poſteritas, optima virtutum & meritorum vniuſcuiuſque ſpectatrix æſtimatrixque, affatim & abunde rependet.

Me interim, vt quo hæc omnia tendant eloquar, illo horum omnium conſideratio cogitatioq; duxit, vt poſt generalia nuper de Priuilegiis Iuris Ciuilis edita ſingula deinceps eiuſdem iuris Priuilegia ordine, & primum omnium ita temporibus noſtris monentibus Militaria, deſcripturus: illa ipſa in lucem iam publicumque prolata, Tibi præ aliis, Matthia Archidux, vt Principi & Ductori militiæ noſtræ, nunc vero etiam pacis interpreti atque arbitro, offerrem atque dicarem. Hæc nimirum vera & digna Principe Reipublicæ laus eſt, non armorum ſolum, ſed & pacis eſſe ſtudioſum, & vt arteis vtriuſque callere, ita in hanc magis quam illam animo & voluntate propendere. Nam vt Ariſtoteles dixit, in negotio ſumus, vt otium, & bella gerimus, vt pacem habeamus: & vt ille *in capit. noli, 23. quæſtion. 1.* pacem habere debet voluntas, bellum, neceſſitas. Id quod pluribus infra.

Accipe igitur, Princeps vultu benigno, & ſub illuſtri

illustri ac glorioso nomine tuo in publicum commendari patere hæc pauca de Priuilegiis militum: vbi si non omnia, multa certe & magna, ad militarem disciplinam administrationemque pertinentia, ex veterum Imperatorum ac Principum iuribus, legibus, institutis, exemplis, monumentis, collecta & exposita inuenientur. Sis felix & magnus: optatæque nos iamdiu pacis, Deo beneiuuante ac volente, compotes redde: Goldecci, Id. Septembr. Anno Seruatoris M. D C. VI.



AVRELIANI CAES.

Edictum.

SI vis tribunus esse, imo si vis viuere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat. Vuam nullus auferat, segetem nemo deterat: oleum, sal, lignum, nemo exigat: annona sua contentus sit: de præda hostis, non de lacrymis prouincialium, habeat. Arma tersa sint: ferramẽta samiata: vestis noua vestem veterem excludat. Stipendium in balteo, non in popina habeat. Torquem brachialem & annulum apponat: equum saginarium suum defricet: captum animal non vendat: nullum centuriatum comiter curet. Alter alteri quasi seruus obsequatur: a medicis gratis curentur, aruspicibus nihil dent: in hospitiis caste se agant: qui litem fecerit, vapulet.

GEORGII



GEORGII ACACII ENENKELII BARONIS HOHENECCII,

DE PRIVILEGIIS MILITVM ET MILITIÆ, Liber Primus.

CAPVT I.

Bellorum mala & bona ex culta neglectave disciplina militari præcipue nasci, & huius maxime caussa priuilegia militum introducta ostēditur.

EPITOMA.

1 *Bellorum detestatio.*
2 *Belli mala.*
3 *Superioribus ætatibus visa.*
4 *Hodie vero multo maxime.*
5 *Omnia exterorum vitia habemus, virtutes paucissimas.*
6 *Disciplina publica bellis impeditur.*
7 *Impietas, feritas, vitia omnia ex bello inter milites, ab his ad omneis propagantur.*
8 *Horum fructus, vt Respub. pessum eat, & mutationibus obnoxia fiat.*
9 *Arma nunquam perfecte felicia sunt.*
10 *Incertus bellorum Mars.*
11 *Ob hæc bella quisq; prudens horret.*
12 *Pax optima rerum.*
13 *Rem militarem non spernimus, sed emendari optamus.*
14 *Militia absolute considerata, mala est & fugienda.*
15 *Propter ingenii autem humani peruersitatem necessaria & iusta, humano & diuino iure permissa.*
16 *Militia honore & laudibus digna.*
17 *Cur hoc?*
18 *Militaribus hominibus in omnibus bene constitutis Rebuspublicis honores & præmia præ aliis tribuuntur.*
19 *Belli & militiæ mala vnde nascantur?*

20 *Militaris disciplina euersa omnia nobis mala attulit.*
21 *Quod cernitur in Romana Republ. & num. 23.*
22 *In Hannibalis exercitu.*
24 *In militibus Vitellianis.*
25 *Militaris disciplina optimis quibusq; Imperatoribus curæ fuit, idq; non sine fructu.*
26 *Romanis præcipue, victoribus ea re orbis terrarum.*
27 *T. Manlii Cos. seueritas & cura disciplinæ.*
28 *Nec non Papyrii Dictatoris.*
29 *Cn. Pompeii & Iul. Cæsaris.*
30 *Octauii Cæs.*
31 *Tiberii Cæs.*
32 *Domitii Corbulonis.*
33 *Galbæ Cæs.*
34 *Othonis Cæs.*
35 *Vespasiani Cæs.*
36 *Traiani Cæs.*
37 *Adriani Cæs.*
38 *Auidi Cassii.*
39 *Pescennii Nigri.*
40 *Alexandri Seueri Imp.*
41 *In quem finem præcedentia adducta, monstratur.*
42 *Militum priuilegia pars sunt maxima militaris disciplinæ.*
43 *Quod exemplis ostenditur: vbi pleraque militum priuilegia summatim attinguntur.*
44 *Hodierni milites prædatores e sociis, ipsi præda hostium.*
45 *Hæc eo pertinent omnia, vt disciplina militaris restituatur, & ad priscos mores redigatur.*

1 NON † eleganter magis quam vere Maron. Poetam cecinisse:

Nulla salus bello pacem te poscimus omnes:

omnium ætatum omnium locorum exempla testantur. Itaque & Euripides in Troadibus: φεύγειν μὲν οὖν χρὴ πόλεμον ὅστις εὖ φρονεῖ, inquit. Non dubie enim quibus bella cordi sunt, non miseri tantum aut insani, sed magis, quod ipsa appellatio belli notat, belluæ sunt æstimandi. Quanquam & belluas nunquam cum sui generis aliis bellare videas, & si quando diuersi generis agmina inter se pugnant (quod rarissime omnibus seculis factum legimus) prodigii id loco & diri alicuius ominis habeatur. De quo & Horatius:

Neque

Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Vnquam, nisi in dispar feris,

Inter singulos homines, q sibi ipsis mortẽ consciscũt, aut vitã casib.
temere exponunt, temerarii, aut insani, aut conscelerati habentur:
qui vero aliorũ fortunis aut vitæ insidiantur, vt fures, vt raptores, vt
sicarii latronesve plectũtur. At si plures congregentur, quib. singu-
lis & vniuersis idẽ in vtramq; partẽ est animus (bellaturo enim aut
perire, aut q; est grauius perdere necesse est) singuli quidẽ, milites;
vniuersi exercitus appellantur. Quo titulo quidquid geritur, id nõ
veniã modo, sed summum decus & gloriã inter homines meretur.
Quod si, vt homines, vt Christianos facere ęquum est, ęstimare vo-
luerimus, nunquã gloriæ nobis laudive putabimus, q; multorũ ho-
minum gemitu interituq; parandum est. Quis enim † omneis bel- 2
lorũ clades enumerare, quis tãta scelera pro merito increpare, quis
tot mala digne deplorare valeat? Inexpertis forsan leuiora creden-
tur: at quibus hæc visa, quib. experta, hi vero omneis, quos bella iu-
uant, diris omnibus exsecrãtur. Non hic, quæ sunt extrema, nec ta-
men si recte iudicare velimus grauissima malorum, quæ victis acci-
dere solent, commemorabo: rapi virgines, pueros; diuelli liberos a
complexu parentum; matresfamiliarum pati quæ victoribus colli-
buissent; fana atq; domos spoliari; cædem, incendia fieri; postremo
armis, cadaueribus, cruore atq; luctu omnia compleri: vt apud Sa-
lustium *in Catil. coniur.* loquitur Iul. Cæsar. Quod etiam describit, vt
iam olim factitatum, Phœnix apud Homerum, *lib. α. Iliad.*

Ανδρας μὲν κτείνουσι, πόλιν δέ τε πῦρ ἀμαθύνει.
Τέκνα δὲ τ' ἄλλοι ἄγουσι, βαθυζώνους τε γυναῖκας.

Hæc enim non tam apud Historicos, plenos huiusmodi narratio-
num, quam multis passim in locis plus quam est æquum piumve,
cernuntur. Illa magis quæ non ita prorsus in sensus & oculos omniũ
incurrunt, sed tanto grauiora tantoq; plus metuẽda, pensare decet.
Scilicet occasione bellorũ tumultuũq; victæ leges, oppressi mores
& consuetudines patriæ, euersa religio, proiecta disciplina, omnib.
vitiis & sceleribus locum amplissimũ patefaciunt. Id quod in † pul- 3
cerrima & sanctissima illa Romanor. Republ. iampridem notauit
princeps historię Rom. cũ *li. 39.* annal. *Luxuriæ*, inquit, *peregrinæ origo
ab exercitu Asiatico inuecta in vrbẽ est. ii primũ lectos æratos, vestem stragu-
lam pretiosam, plagulas & alia textilia, & quæ tum magnificæ suppellectilis
habebantur, monopodia, & abacos Romam aduexerunt. tunc psalteriæ sambu-
cistriæque, & conuiuialia ludionũ oblectamenta addita epulis: epulæ quoq; ipsæ*

& cura & sumtu maiore apparari cœpta. tum coquus, vilissimum antiquis mancipiũ & æstimatione & vsu, in pretio esse: & quod ministeriũ fuerat, ars haberi cœpta. vix tamen illa, quæ tũ conspiciebantur, semina erant futuræ luxuriæ. Vetustiora hæc, inquis, nec ita grauia. Leuiora fateor nostris: igitur & recentiora & grauiora afferemus. Franc. Guicciardinus excellentiss. scriptor, ita *lib. 1.* historię Italicæ, de armis Caroli VIII. Regis Franc. Italiæ illatis loquitur; *Ea res secũ calamitatum innumerabiliũ, horribiliumq; euentuum, atq; omnium pene mutationum seminariũ in Italiam importauit. nam ab eius aduentu non modo statuũ mutationes, euersiones Regnorũ, regionum vastationes, vrbiũ excidia, cædes crudelissimæ, verum et inusitata vestimentorum genera, mores inauditi, noui & cruenti belligerandi modi, morbi ad eam diem incogniti, originem duxerunt: quietisq; & concordiæ in Italia instrumenta adeo turbata sunt, vt quod in ordinem iterũ restitui nõ possint, externæ gentes barbarorũq; acies eam conculcandi vastandiq; habuerint facultatem, &c.* An vero & hæc quoq; antiqua dices magis, quã illa † nunc maxime apud nos & quotidie fieri & fateberis & deplorabis? Quid est enim, ꝙ nos non huius generis, imo plura & grauiora, quã maxime patiamur? quid quod non ille velut hoc ipso
4
5 momẽto superstes & vidisse & descripsisse videatur? Nihil. n. † fere malorũ, nihil scelerũ apud diuersas hinc inde nationes & populos cernitur, ꝙ non vniuersum apud nos velut vno cumulo conspiciatur: vereq; ideo dici potest, omnia nos exterorũ vitia habere, virtutes paucissimas. Nec iniuria. Illi quippe nõ virtutes aliquas nobis & bona cõmunicaturi, sed vitia sua apud nos tãto liberius exercituri,
6 accedunt. Certum † namq; est, talib. temporib. dũ illi, quorum hæc cura est & potestas tumultib. necessitatibusq; bellicis occupati tenentur, & de summa rerũ magis cogitare debẽt, quã istis emendandis animum adiicere possunt: plerisq; improbe agendi summã dari facultatem, ꝙ verbis demonstrare nõ est opus, cum res ipsæ loquã-
7 tur. Taceo, quod † potissimum est, supremũ quendam numinis cõtemtum, impietatem, & atheismũ, apud istos qui castra sequuntur, & quibus nulla fides pietasq;, vt nusquã magis regnare; vt castra illa, quæ Dei exercituum & angelorũ castra dici debebant, omniũ potius flagitiorũ vitiorumq; colluuies ac sentina videãtur. Vnde quidem ex contagio istorũ ad ceteros quoq; & vniuersos lues ista diffipatur. Nam de morum feritate, truculentia, & barbarie nihil dicã. Dum enim vni militari professioni locus patet, aliæ omnes virtutes contemtæ & sine honore iacent, aut certe sanctũ & venerabile nomen suum

men suum vitiis horumq; irritamentis & instrumentis cómodare coguntur. Quæ illo denique † redeunt omnia, vt corrupta publica 8
priuataq; disciplina, Respublica pessum eat: & vel in manus alienas delabatur, vel certe rerum nouarum cupidis locum occasionemq; aperiat. Vtcunq; † .n. bellum succedat, illud tamen sempiternũ est: 9

κλαίει ὁ νικαθεὶς, ὁ δὲ νικήσας ἀπόλωλεν.

Quãtũcunq; scilicet felicia sint arma, necesse est, vires interim nostras nõnihil atteri ac debilitari, & ea re aduersus nouos hostes imbecilliores inueniri. Nam † incerta bellorũ casusq; ancipites, qui 10
bus & q secundissima vtuntur fortuna subito euersi cernuntur, pluribus exponere nõ est necesse. Vere enim, vt ille apud Thucyd. ait, ἥκιστα ὁ πόλεμος ἐπὶ ῥητοῖς χωρεῖ, αὐτὸς δὲ ἀφ' αὑτοῦ τὰ πολλὰ τεχνᾶται πρὸς τὸ παρατυγχάνον. Item apud eundem Athenienses: Μηκυνόμενος ὁ πόλεμος φιλεῖ ἐς τύχας τὰ πολλὰ περιΐστασθαι. Quod † q digne reputat, merito rẽ tanti peri 11
culi ac discriminis detestatur, & nõ modo nõ sectatur, aut materiã armorũ cupide accersit, sed potius quoad eius fieri potest, & vt summã malorum omniũ refugit atq; horrescit. Maxime, quisquis dulcissimæ pacis bona semel degustarit: aut certe quid in illa sit cõmodi belli malis (ita enim est natura hominũ, vt nõ prius nostra intelligamus bona quam amisimus) edoctus senserit: Nam † vt verissime 12
& sanctissime Poeta ille: ——*pax optima rerum*

Quas homini nouisse datum est, pax vna triumphis
Innumeris potior.

Sed hæc forsitan præsentia † mala & calamitates expresserunt: nec 13
instituti est etiam nostri, rem militarem spernere magis, quam ad verum illius sincerumq; cultum omneis cohortari. Non enim quæ dicta sunt accipi aliter velim, quam vt bella † & militiam suapte na- 14
tura & absolute, vt loquuntur, considerata, mala fugiendaq; omnibus hominibus habeantur. Nec etenim vsque eo ferocem velin arma adeo & pericula promtum quenquam crediderim, qui non pari quietis bellique proposito præmio, illam huic semper longissime præoptauerit. Interim † cum ea sit humani ingenii peruersi- 15
tas, vt paucissimi illis quæ iusto titulo accepere contenti, aliena plus quam est iustum æquumue appetant, eademque vel fraude vel vi aperta iustis possessoribus extorquere nitantur; vicissim vim atque iniuriam propulsare iure naturæ liceat, *l. vt vim 3. ff. de iustitia & iure, leg. 1 §. vim vi 27. ff. de vi, &c.* nosque ipsos & nostra tueri naturali quadam omnium animantium inclinatione æquum appareat; nec nostra tantum, sed & nostrorum res atque corpora eadem qua

noſtra cura curanda & protegenda lex diuina iubeat: recte atque omni iure quemque ſeipſum, ſuos, & ſua defendere atque tueri affirmatur. Quod bello, armis, milite, quam rectiſſime fieri, ius gentium firmauit, ratio ciuilis probauit, ius diuinum permiſit. Quanto igitur maior hominum inter ſe iniquitas; quanto crebriores & vulgatiores tam publicæ quam priuatæ iniuriæ; quanto rurſus, ſeipſum & ſua quemque tranquillo & tuto poſſidere, frui, æquius eſt:
16 tanto † armorum & militiæ cauſſa iuſtior, tanto eorum quibus hęc curæ cordiq; ſunt, ſtudium honoratius, Deoq; & hominib. gratius eſſe ſolet. Hac re milites apud Platonem φύλακες, hoc eſt, cuſtodes appellantur: tales nimirum homines, qui vt canes pro ouibus aduerſus lupos, ſic ipſi pro patria, ciuibus pignoribuſque ſuis aduerſus iniuſtos & violentos homines, dies noctesq; vigilare, decertare, vitam deniq; & ſanguinē profundere ſunt parati. Homines, ita me Deus amet, magni, ſancti, omniq; honorum genere & veneratione digni: meritiq; adeo virtute ſua, quos ſecundum Socratē apud Platonem li. 5. de Rep. poſt mortē vt diuos quoſdam colamus, & ſepulcra quoq; eorū, vt dæmonum quorundā habitacula honore & ve-
17 neratione ampliſſima proſequamur. Quis enim † non illos homines ſuſpiciat venereturq;, qui vt alii in pace, in otio, in vmbra viuere ſine ſollicitudine poſſint, ipſi in bellum exeunt, ſolem, puluerem, frigora,, imbreis, famem, paupertatemq; lubentes patiuntur, labores, pericula, quæq; homini aduerſa accidere poſſunt ſponte capeſſunt: vt alii viuere, & bene ac cum voluptate viuere poſſint, ipſi corpus, ſanguinem, vitamq; ſuam diſcrimini exponunt, & omnib. humanis generoſæ cuiuſdam virtutis amore ſtudioq; renuntiāt? Hinc
18 ſumma † cum ratione in omnib. quæ vnquā fere magnæ laudatęq; fuerunt Rebuſpub. magni honores, magna emolumenta militarib. hominib. propoſita fuerunt: & poſtea, plurimas hiſce præ ceteris prærogatiuas, libertates, & iura propria data audiemus: imo nō viuos tantum, ſed & mortuos pro Repub. præclariſſime honoratos, & adhuc honorandos, demonſtrabitur.
19 Quod cū † ita ſit, vnde ergo nobis tot tantaq;, de quibus paulo ante, ex bellis militiaq; nata mala, vt nō diuini quidā & venerandi heroes, ſed ex inferis ereboq; ad ſuppliciū miſerorum mortalium miſſæ furiæ & harpyiæ milites plerūq; videantur? Id nemo mirabitur, qui vel leuiter res humanas circūſpiciens, hoc ipſum in omnib. vitæ generib. & tanto amplius, quāto quodq; excelſius eſt, accidere cogita-

cogitabit. Omnia enim ista sua natura bona, fini certe bono & ne-
cessario comparata, hominũ improbitate & peruersitate corrum-
puntur. Idẽ militiæ quoq; & bellicæ disciplinæ euenit, quæ, vt mo-
do dictũ est, salutis & tranquillitatis publicæ caussa & necessario ita
saluberrime inuẽta ab improbis ingeniis aliisq; incõmodis ita ple-
runq; deprauantur, vt quod bono nobis esse debebat, maximorum
persæpe cladiũ, dolorum, & luctuum caussa fiat. Huius vero incõ-
modi & abusus plurimæ sunt caussę, quas alii suis locis persequũtur.
Ego hic † vnam tantũ, quæ præsentis est proprie operis institutiq; 20
allegabo, militaris disciplinæ neglectionem & euersionem. Hæc vt
militaris virtutis, vt fortunæ & felicitatis bellicæ, vt publicæ securi-
tatis otiiq; fundamentum est & columen, ita spreta sub pedibusq;
calcata eadem, milites turpissimis vitiis degenerare facit, & vt hos
infelicissimos, ita hostes nostra plerunq; magis culpa, quam propria
virtute, victores superioresq; constituit, suis deniq; plus quam illis
contra quos id omne cæptum fuerat, cladis & iniuriæ affert. Verissi-
me enim † Alexander Seuerus Imper. ad milites suos, teste Lam- 21
pridio: *Disciplina*, inquit, *maiorum Rempublicam tenet: quæ si dilabatur, & nomen Romanum & Imperium amittemus.* Constat enim, non alia
modo, sed præcipue Romanum Imperium pro culta neglectaque
disciplina bellica fortunam quoque Imperii parem semper habuis-
se. Item certe † magni illius Hannibalis inuictum antea exercitum 22
fregit primo, vt pulcerrimis & dignis ad memoriam verbis mo-
net T. Liuius libro 23. annalium: *In hyberna Capuam concessit. Ibi partem maiorem hyemis exercitum in tectis habuit, aduersus omnia humana mala sæpe ac diu durantem, bonis inexpertum atque insuetum. Itaque quos nulla mali vicerat vis, perdidere nimia bona ac voluptates immodicæ, & eo impensius, quo auidius ex insolentia in eas se immerserant. Somnus enim, & vinum, & epulæ, & scorta balneaque, & otium consuetudine indies blandius, ita eneruauerunt corpora animosq;, vt magis deinde præteritæ eos victoriæ quam præsentes tutarentur vires: maiusq; id peccatũ ducis apud peritos artium militarium haberetur, quam quod non ex Cannensi acie protinus ad vrbem Romam duxisset. Illa enim cunctatio distulisse modo victoriam videri potuit: hic error vires ademisse ad vincendum. Itaque hercule veluti si cum alio exercitu a Capua exiret, nihil vsquam pristinæ disciplinæ tenuit. Nam & redierunt pleriq; scortis impliciti: & vbi primum sub pellibus haberi cæpti sunt, viaq; & alius militaris labor excepit, tyronum modo corporibus animisq; deficiebant: & deinde per omne æstiuorum tempus magna pars sine*

commeatibus ab signis dilabebantur: neq; aliæ latebræ, quam Capua, desertoribus erant. Hoc itaq; nõ multo post Annibali exprobrat M. Marcellus, cum apud eundem auctorem ita suos milites cohortatur: *Qui pugnent marcere Campana luxuria, vino, scortis, omnibusq; lustris per totam hyemem confectos, abiisse illam vim vigoremq;, dilapsa esse robora corporum animorumq;, quibus Pirenæi Alpiumq; superata sint iuga: reliquias illorum virorum vix arma membraq; sustinenteis pugnare. Capuam Annibali Cannas fuisse, ibi virtutem bellicam, ibi militarem disciplinam, ibi præ-*
23 *teriti temporis famam, ibi spem futuri extinctam.* Et † quod hic Annibali, idem ibidem lib. 26. Romano quoque duci Cn. Fuluio obiicitur: *Neminem præter Cn. Fuluium ante corrupisse omnibus vitiis legiones suas, quam proderet. Itaque vere dici posse, prius eos periisse, quam viderent hostem: nec ab Annibale, sed ab Imperatore suo victos esse.* Et postea: *Cn. Fuluium Quiritium Romanorum exercitum, honeste genitos, liberaliter educatos, seruilibus vitiis imbuisse. Ergo effecisse, vt feroces & inquieti inter socios, ignaui & imbelles inter hostes essent: nec impetum modo Pœnorum, sed nec clamorem quidem sustinere possent.* Sic libro 38. eiusdem Manlius Cos. ad suos milites: *Vobis mehercule Martis viris cauenda ac fugienda quamprimum amœnitas est Asiæ: tantum hæ peregrinæ voluptates ad extinguendum vigorem animorum possunt, tantum contagio disciplinæ morumq; valet.* Sed pleni sunt huius generis exemplorum Liuii an-
24 nales. Vitellii Cæsaris † exercitum ita describit Corn. Tacitus libr. 2. historiarum: *Legati tribuniq; ex moribus Imperatorum seueritatem æmulantur vel tempestiuis conuiuiis gaudent. Perinde miles intentus aut licentior. Apud Vitellium omnia indisposita, temulenta, peruigiliis ac Bacchanalibus quam disciplinæ & castris propiora.* Et de eodem non multo post Mucianus ait: *Si quid ardoris ac ferociæ miles habuerit, popinis, & comessationibus, & Principis imitatione deteri.* Vt & Antonius Primus ibidem lib. 3. histor. *Non in procinctu & castris habitos, per omnia Italiæ municipia desides, hospitibus metuendos, quanto ferocius ante se egerint, tanto cupidius insolitas voluptates hausisse.* Horum quæ postea fortuna, qui euentus, historia narrat.

25 Contra militaris † disciplinæ optimi quique Imperatores summam semper curam habuerunt, eaq; re felicissime omnia gesserũt, victorias clarissimas reportarunt, sibi magnificos triumphos, sibi gloriam sempiternam, Reipubl. pacem, tranquillitatem, opes, maiestatem adiecerunt. Non hic de Spartanis, de Atheniensibus, de Persis, de Carthaginiensibus, de aliis populis aut Rebuspub. dicam: Roma-

Romanorum † ſolum, vt perfectiſſimum, ſic maxime proprium 26
exemplum producam. Itaq; Vegetius lib. 1. de re milit. cap. 1. Nulla re alia ait populum Roman. orbem ſubegiſſe terrarum, niſi armorum exercitio, diſciplina caſtrorum, vſuque militiæ. Et cap. 8. ibid. *Diſciplinam*, inquit, *militarem populi Romani debemus inquirere, qui ex paruiſſimis finibus imperium ſuum pene Solis regionibus & mundi ipſius fine diſtendit.* Quomodo idem Liuius libro 9. annal. diſciplinam militarem apud Romanos, iam inde ab initiis vrbis in artis perpetuis præceptis ordinatæ modum veniſſe, ſcribit. Apud quem eundem T. Manlius Cos. Roman. diſciplina militari ſtetiſſe ad eam diem rem Romanam ait. Cum enim † aduerſus Latinos periculoſiſſi 27
mum bellum Romani haberent, eoq; ante omnia diſciplinam militarem ad priſcos redigere mores inſtituiſſent: T. Manlius Cos. belliq; Imperator, filium ſuum, quod contra edictum extra ordinem in hoſtem pugnaſſet, ſecuri percuſſit. Vbi inter cetera, filio iam ad palum ſpectante exercitu deligato: *Nec te quidem*, inquit, *ſi quid in te noſtri ſanguinis eſt, recuſare cenſeam, quin diſciplinam militarem, culpa tua prolapſam, pœna reſtituas.* Hæc T. Liuius libro 8. annalium, vbi hanc narrationem ita finit: *Facit tamen atrocitas pœnæ obedientiorem duci militem, & præterquam quod cuſtodiæ vigiliæq; & ordo ſtationum intentioris vbique curæ erant, in vltimo etiam certamine, cum deſcenſum in aciem eſt, ea ſeueritas profuit.* Hac de cauſſa, diſciplinam militarem antiquiorem fuiſſe parentibus Romanis, quam caritatem liberorum, ait *l. poſtliminium, 19. §. filius 7. ff. de captiuis.* Simile poſt ea exemplum † ibidem exſtat, vbi Papyrius Dictator Fabium ma 28
giſtrum equitum, quod pariter contra edictum pugnaſſet, ad ſupplicium depopoſcit, nec niſi vltimis totius populi Rom. precibus vitam illi donauit. Vnde Liuius ibi, firmatum imperium militare haud minus periculo Q. Fabii quam ſupplicio miſerabili adoleſcentis Manlii, ait. Sed pleni ſunt illorum temporum ſcriptores, nec operæ eſt ſingula enumerare. Idem Scipiones, Metellos, Æmil. Paulum, C. Marcum, M. Catonem, & alios feciſſe, paſſim leges. Certe iam † labente publica priuataque diſciplina, Cn. Pom- 29
peium & Iulium Cæſarem militarem diſciplinam ſeuere plerunque habuiſſe inuenies. Et illum quidem, militum quos præmittebat gladiis annuli ſignum impreſſiſſe, proditum eſt, ne quem in via læderent: hunc ſi hoſtis in proximo eſſet, grauiſſimum diſciplinæ exactorem, deſertorum ac ſeditioſorum & inquiſitorem & puni-

30 torem acerrimum, Suetonius prædicat. Octauium vero † Cæsa-
rem idem disciplinam seuerissime ait rexisse, ne legatorum qui-
dem cuiquam, nisi grauato, hybernisque demum mensibus vxo-
31 rem interuisere permittentem, &c. Perinde † & Tiberium scri-
bit disciplinam acerrimam exegisse, animaduersionum & ignomi-
niarum generibus ex antiquitate repetitis, atque etiam legato le-
gionis, quod paucos milites cum liberto suo trans ripam venatum
misisset ignominia notato. Caium quidem Cæsarem, Claudium, &
Neronem, vt nulla virtute, ita nec belli gloria insigneis nouimus:
32 Sub Claudio tamen † egregiũ nobis ducem Domitium Corbulonẽ
Tacitus depingit. Prouinciam ingressum, protinus cum alia egisse,
tum vero legiones operum & laboris ignaras populationibus lætã-
teis, veterem ad morem reduxisse: ne quis agmine decederet, nec
pugnam nisi iussus iniret, &c. Additque tandem, terrore disciplinę
milites hostesq; in diuersum affectos: illos virtutem auxisse, hos fe-
rociam infregisse. De eod. lib. 13. annal. *Ipse*, inquit Tacit. *cultu leui,
capite intecto, in agmine, in laboribus frequens adesse: laudem strenuis, so-
latium inualidis, exemplum omnibus ostendere. Dehinc quia duritiam cæli
militiæq; multi abnuebant deserebantq;, remedium seueritate quæsitum est.
Nec enim vt in aliis exercitibus primum, alterumque delictum venia prose-
quebatur, sed qui signa reliquerat, statim capite pœnas luebat. Idq; vsu salu-
bre, & misericordia melius apparuit. Quippe pauciores illa castra deseruere,
33 quam ea, in quibus ignoscebatur.* De Galba Imper. multa † militaria hi-
34 storici, nec contemnenda † de Othone Cæsare iidem prodidere:
pulcerrima certe hic milites oratione alloquitur apud Cornelium
35 Tacit. lib. 1. histor. sub finem. De Vespasiano † vide Suetonium in
36 vita illius cap. 8. Traianum † Imper. conditorem militaris discipli-
næ firmatoremq; vocat Plinius lib. 10. Epistol. 30. Et in Panegyrico,
de eodem: *Quam speciosum est*, inquit, *quod disciplinam castrorum la-
37 psam exstinctamq; refouisti.* Ita Adrianum † Imper. vt egregium disci-
plinæ militaris cultorem laudat pluribus in illius vita Spartianus.
38 Auidium † Cassium eodẽ nomine Vulcatius Gallicanus, qui inter
cetera: *Cum ingens*, ait, *seditio in exercitu exorta esset, processit nudus cam-
pestri solo tectus, &, Percutite me, inquit, si audetis, & corruptæ disciplinæ fa-
cinus addite. Tunc conquiescentib. cunctis, meruit timeri quia non timuit.
Quæ res tantum disciplinæ Romanis addidit, tantum terroris barbaris iniecit,
vt pacem annorum centum ab Antonino absente peterent, &c.* Nec minora
39 de Pescennio † Nigro Spartian. narrat, quem ait omne argentũ sub-
moueri-

moueri iussisse de vsu expeditionali, addito vt ligneis vasis milites vterentur, ne ex his barbaris præda aut gloria adquireretur: vinum item & pistores prohibuisse, aceto & buccellato milites contentos esse iubentem: nunquam sub eo militem prouinciali lignum, oleũ, operam extorsisse, &c. Quin & epistolã recitat Seueri Imp. de isto agentem: *Miserum est vt imitari eius disciplinam militarem nõ possimus, quem bello vicimus. Milites tui vagantur, tribuni medio die lauant, pro tricliniis popinas habent, pro cubiculis meritoria: saltant, bibunt, cantant & mensuris conuiuiorum vacant cum sine mensura potent. Hæc, si vlla vena paternæ disciplinæ in nobis viueret, fierent? Emenda igitur primum tribunos, deinde militem, quem quamdiu timueris, tamdiu non timeberis, sed scias id de Nigro, militem timere non posse, nisi integri fuerint tribuni & duces militũ.*
Ita Alexandrum † Seuer. Imp. Lamprid. scribit, Parthicam expe- 40
ditionẽ tanta disciplina tanta reuerentia sui egisse, vt nõ milites, sed senatores transire dicerentur: quacũq; iter facerẽt legiones, tribunos accinctos, cẽturiones verecũdos, milites amabiles fuisse; ipsum vero Imperatorẽ ob hæc tot & tanta bona prouinciales, vt Deum suscepisse, milites amasse, vt fratrem, vt filium, vt parentem; vestitos scilicet honeste, calciatos etiam ad decorem, armatos nobiliter, equis instructos & ephippiis ac frenis decẽtib. vt Romanam Rempubl. intelligeret quicunq; Alexandri vidisset exercitum. Sed infinita sunt huius generis apud historicos exempla, quæ Imperatores etiam cetera non adeo egregios, militari tamen disciplinæ curæq; plurimum tribuisse ostendant. Desinam itaq; protinus, vbi vnam tantum D. Aureliani Cæsar. epistolam, vt huc maxime pertinentem, adiecero, vt apud A. Vopiscum in vita illius exstat: *Si vis tribunus esse, imo si vis viuere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat. Vuam nullus auferat, segetem nemo deterat: oleũ sal lignum, nemo exigat: annona sua contentus sit. De præda hostis, non de lacrymis prouincialium, habeat. Arma tersa sint, ferramenta samiata: calceamenta fortia: vestis noua vestem veterem excludat. Stipendium in balteo, non in popina habeat. Torquem brachialem & anulum apponat, equum saginarium suum defricet, captum animal non vendat, mulum centuriatum comiter curet. Alter alteri quasi seruus obsequatur: a medicis gratis curentur: aruspicibus nihil dent. In hospitiis caste se agant: qui litem fecerit, vapulet:*

Quæ † pluribus hic commemorare visum ideo, vt quis in vtramque partem seruatæ corruptæue disciplinæ militaris euentus

fortunaque soleat esse, non meis verbis, sed clarissimis exemplis probaretur. Idq; non hac de caussa tantum, vt quantum ab hac lau-
42 de nostra ætas absit intelligeretur, sed ea re maxime, quod ista † quę nunc describere aggressi sumus militum priuilegia, pars sunt multo maxima militaris illius disciplinæ. Nihil enim illa cõtinent omnia, quam quę prę paganis milites facere aut non facere vel debeant vel possint: & reuera aliud sunt nihil, quam diuersæ Imperatorum R. circa disciplinam moresq; & iura militum constitutiones.

43 Sic † enim in illo quod nobis est ordine primum priuilegio, militib. iuris ignorantiam periculo esse vetat Imp. quoniam arma magis quam leges & iura nosse solent, qui numeris & signis suis iugiter inhærere, armisq; nõ priuatis negotiis occupari iubentur, vt Rempubl. a qua aluntur, ab omni bellorum necessitate defendere possint, *l. milites 31. C. de locato.*

Secundum priuilegium est, vt milites non fungantur alienis negotiis, imo ne pro patre quidem, matre, vel vxore, procuratorio nomine experiantur, aut defensionem alienam suscipiãt: ne omisso armorum vsu ad opus rurestre se conferant, & vicinis graues pręsumtione cinguli militaris exsistant. Armis autem & publicis vtilitatibus, non priuatis negotiis, occupentur: vt numeris & signis suis iugiter inhęrentes, proprięq; muniis militiæ insudantes, Rempub. a qua aluntur & armantur, ab omni bellorum necessitate defendant, *d. l. milites, & l. milites, 15. C. de re militari, lib. 12.* ne item relictis studiis publicis signisq; victricibus ad cõductiones alienarum rerum prosiliant, & atrocitatem armorum nõ in hostes ostendant, sed contra vicinos, & forsan in illos ipsos quos procurãdos susceperint (rẽ ho-
44 die nimio plus familiarem militibus, † prędatoribus e sociis, & ipsis prædæ hostium, vt Sal. in Iugurtha loquitur) conuertant, *l. fin. C. de locato.* adeo vt qui sciens militem procuratorem elegerit, velut contẽtor disciplinæ militaris puniatur, ac iure si quod in re habet spolietur, *l. si ignorans, 50. ff. locati, l. final. C. eod. l. nemo miles 13. C. de re milit. lib. 12.*

Tertium priuilegium, ea quæ ad militarem disciplinam pertinent feriatis diebus peragere iubet *l. D. Traianus, ff. de feriis.*

Quartum, restitutionem in integrum milit. largitur; idq; ob disciplinam militarem, *l. pen. C. de restitut. mil.* ob militiam, *l. 1. & l. 3. d. tit.* ob labores & occupationes militares, *l. si cum 6. d. tit. l. si quondam 15. C. ad legem Iul. de adult.* ob expeditionem, *l. vlt. C. de restit. mili.* & quia

& quia discedere a signis sine periculo non possunt, *l. penult. ff. ex quibus causs. maior.*

Qu n um priuilegium, militibus dat iudicem proprium, magistrum videlicet seu ducem sub quo militant: idque vt beneficio milites fortissimi & præmio afficiantur, minimeque læsionem aliquam seu dispendium patiantur, *l. fin. in princip. C. de re milit. lib. 12.* quia item in militari iudicio & instructio sufficiens, & nota testimonia, & verissima possunt documenta præstari, *l. vlt. in fin. C. vbi de ratiocin.* vti item quidquid emerserit pro communi securitate curandum, hoc protinus competens possit mereri remedium, *l. vlt. C. de offic. milit. iud. l. vlt. §. quoniam vero, C. de re milit.*

Sextum priuilegium iubet, vt res militis pecunia emta ipsius fiat, & ab ipso vindicari possit: idque ob militiam, *l. si vt proponis, 8. C. de rei vindic.*

Septimum est, vt cum indebitum se soluisse quæritur miles, is qui accepit pecunias, debitas accepisse probare teneatur. Et hoc ob imperitiam rerum forensium & simplicitatem, quam militaris disciplinæ seueritas in milite caussatur, vt paulo ante innuimus.

Octauum, milites testimonii perhibendi caussa a signis vel muneribus suis auocari vetat, *l. 3. §. vlt. ff. de testib.* Esse autem ad signa iubet disciplina militaris.

No o, m l t s in prouicia in qua militant prædium comparare prohibētu : ne stud o culturę militia sua auocentur, *l. milites agrum, 13. in princ. ff. de re milit.* ne item omisso armorū vsu, & relictis studiis publicis, signisq; victricibus ad opus rurestre se conferant, &c. *l. milites nostri, 31. & l. vlt. C de locat.*

Vndecimum, milites ab conductione alienarum rerum temperare iubet, ob easdem caussas, quas in secundo allegauimus.

Duodecimo priuilegio, militibus sine aliqua solemnitate matrimoniorum libera cum ingenuis mulieribus contrahendi permittitur facultas: ideo, quia his ciuilium caussarum ignorantia & circa bella concupiscentiæ caussa est studiosa & iusta & laudabilis, *auth. quib. mod. nat. effic. legit.*

Decimum tertium, maritum in expeditione absentem, vsque dum redeat, aut de morte certus sit nuntius, ab vxore exspectari vult: quoniam actibus bellicis occupato marito vxoris priuationem inferre, non est minor pœna, quam ab hostibus capi, *§. nouimus, in auth. de nuptiis.*

Decimum quartum milites focariis ſeu concubinis ſuis donare prohibet, quia milites ſuos hac ratione fictiſque adulationibus ſpoliari a focariis ſuis Imperator noluit, *l.2. C.de donat. inter virum & vxorem.*

Decimum quintum, tutores vel curatores milites fieri vetat, communi de cauſſa, ne ciuilibus negotiis ab numeris ſuis ſigniſque auocentur, *l.4. C.qui dare tut. vel cur. poſſ.*

Decimum ſextum, militibus in expeditione occupatis liberam teſtamenti factionem, hoc eſt, vt quomodo velint & quomodo poſſint teſtentur, propter ſimplicitatem eorum & imperitiam, labores item, neceſſitates, & ſimiles cauſſas indulget: vt plurib. infra.

Viceſimum & ſecundum priuilegium, milites ſacramento & diſciplina ſua ab accuſationibus prohiberi ait, *l. qui accuſare, 8. ff. de accuſat. l. qui ſtipendia, 9. C. de procurat.*

Triceſimum primum, præmio & pœna omnem diſciplinam militarem non minime conſtare affirmat; eoque his qui in acie mortem pro Republica oppetierunt, trophæum præclariſſimum decernit, cum tales perpetuo per gloriam viuere ait, eoque non minus quam ſuperſtites liberos parentibus ad excuſationem munerum prodeſſe iubet: vt pluribus ſuo loco.

Et ſic reliqua omnia militum priuilegia, ad diſciplinam milita-
45 rem continendam ſeruandamque pertinere apparebit. Qua † de
cauſſa non ſine cauſſa ab diſciplina militari exorſus ſum, vt quid malorum ex neglecta, quid boni ex ſeruata eadem naſcatur, nonnihil reputantes, tum vniuerſe quid reſtituendæ huius & ad priſcos redigendæ mores faciat inquiramus, tum præſentem de priuilegiis militum & militię doctrinam, perutili fine cœptam credamus, & ideo diligentius ad animum ſingula reuocando, nobis quoque, ſi meliore fortuna vti velimus, accuratius ſolicitiuſque ſeruanda ſciamus.

CAPVT II.

Quare nunc de priuilegiis militum, & quo ordine dicere viſum indicatur?

EPITOMA.

1 *Cur poſt generalia de priuilegiis militum maxime priuilegia deſcribere viſum, patefactum.*

2 Iul.

2 *Iul. Cæsar in mediis bellis libris scribendis operam dedit*
3 *Ordo præsentis tractationis.*
4 *Cognitionem specierum debet præcedere cognitio generis.*
5 *Priuilegia militum duobus libris absoluemus.*

IGitur post descriptam editamque nuper de Priuilegiis iuris ciuilis doctrinam, singula deinceps in specie priuilegia enarraturo, militum ante omnia priuilegia occurrerunt. Non † incerta caus- 1
sa: cum tot iam annos omnia apud nos armis militibusque perstrepant, vt illud magis mirum sit, potuisse me aliquid præter arma & tela aliud tractare (quanquam † & Iulium Cæsarem, illum tot cu- 2
ris occupationibusque belli ciuilis distentum, illis ipsis temporibus de Analogia libros duos, & Anti-Catones totidem, & alia quædam scripsisse, Suetonius prodiderit) quam vtique scripturo militarem potissimum materiam in mentem venisse. Erit † autem 3
iste præsentis tractationis ordo, vt quam in vniuerso opere proposuimus viam, eandem in singulis quoque partibus & speciebus sequamur. Vt enim facto ab vniuersali de priuilegiis doctrina initio, nunc ad singula & inferiora descendimus: sic & in his, quæ de vnoquolibet priuilegiorum genere generatim dici possunt præmittentes, postea demum singularia quoque vniuscuiusque trademus. Cognitionem † namq; specierum debet præcedere cognitio ge- 4
neris, *fac. l. 1. & ibi Bald. in 1. notab. de reb. credit. si cert. petat.* & naturam quoque, quæ in vniuerso statuit, eorum in plerisque singularibus effigiem atque exemplum expressisse videmus.

Priuilegia † itaque militaria duobus libris absoluemus: priore 5
quæ in vniuersum de hisce tenenda trademus: posteriore singula ordine priuilegia exponemus.

CAPVT III.

An nostri milites hodie priuilegiis, quæ militibus dedit ius ciuile, fruantur, quæritur?

EPITOMA.

1 *Proponitur præsens quæstio.*
2 *Affirmatur, & confirmatur consensu Doctorum.*
3 *Rationibus item & argumentis.*
4 *Iure ciuili passim vtimur.*

5 *Priuilegia militum veri tantum milites habent, non qui improprie & in speciem tales dicuntur.*
6 *Militum priuilegia sibi vendicant milites aurati.*
7 *Item Episcopi, Sacerdotes, Clerici, qui cœlestes seu spirituales milites dicuntur.*
8 *Et Doctores quoque ac Scholares.*
9 *Etiam Aduocati.*
10 *Quilibet officialis dicitur miles.*
11 *Militat omnis amans.*
12 *Ad seruilia quoque nomen militiæ applicatur.*
13 *Catulus in syluis militat.*
14 *Vita hominis militia.*

1 ANte omnia † autem nobis illa in hoc genere disceptanda controuersia est, vtrum illa, quæ iure ciuili militibus indulta priuilegia videmus, nostri quoq; temporis militibus conueniant vsuiq; sint: ne in eam rem operę multum temporisq; insumere videamur, quæ nihil hodie momenti, nihil vtilitatis, præter leuem quandam & inanem obsoletæ antiquitatis cognitionem adferre possit.

2 Quod vero nostri † quoque milites iisdem iuris ciuilis beneficiis gaudeant atque fruantur, censent gloss. Bart. & Dd. *in l. filiusfamilias, 8. §. veterani, ff. de procuratorib. Alexand. in l. centurio, num. 23 & ibid. communiter Dd. ff. de vulgari & pupill. substit. Bald. in l. 1. in fin. C. qui bonis cedere poss. Specul. in tit. de procuratorib.* §. *1. num. 22. Dd. ad* §. *1. Instit. eodem tit. Socin. Sen. consil. 33. num. 4. vol. 3. Zas. consil. 6. num. 20. cum seq. vol. 1. And. Gail. lib. 2. obseruat. 118. nu. 2. argum. l. ordo, 8. ff. de iudic. public.*
3 Facit autem † pro his summa ratio, quod hæc omnia priuilegia iure ciuili introducta, & militibus partim ob necessitatem militiæ, disciplinæ, expeditionis, partim beneficii, præmii, incitamenti
4 caussa data atque concessa sunt. Iure autem † ciuili per vniuersas Imperii Romani prouincias, Germaniam dico, Italiam, Franciam, Hispaniam, & ceteras omnes, præter eas, quæ partim externorum Tyrannorum seruitio premuntur, partim diuersis occasionibus se a corpore publico separarunt, ita passim vtimur, vt licet vbique peculiaria quædam & propria statuta, consuetudines & iura seruentur, ius tamen hoc omnes vnanimi voce atque consensu, vt supremam actionum rerumque suarum normam, omnisque adeo iuris fontem & summam suscipiant atque adorent. Quæ caussa

est

eſt, vt ex illo & iura publice reddant, & in Scholis ſuis ac cathedris idem publica auctoritate doceant ac profiteantur. Quæ cum ita ſint, merito & militibus priuilegia ſua, quæcunque his leges ac iura ciuilia tribuerunt, rata habenda & relinquenda erunt: non minus quam mulieribus, minoribus, creditoribus, & aliis, priuilegia ſua, eodem iure nixa, firma atque illibata ſeruantur. Quod enim mutatum vel abrogatum non eſt, cur ſtare prohibeatur? *l. ſancimus, 27. C. de teſtamentis, l. præcipimus, 32. in fin. C. de appellat. l. etſi a patre, 2. C. de teſtament. tutel.*

Illud tamen, † quod in diuerſam quoſdam induxit opinio- 5
nem, ego quoque non minus cauendum atque obſeruandum præcipio: ne videlicet quoſuis, qui vel ſimilitudine aliqua aut imagine, vel ex parte tantum, aut in ſpeciem, nomen ſibi militare impropriе ſumunt, aut vano militiæ nomine immania lucra ſectantur, vt loquitur *l. per Illyricum, 9. C. de cohortalibus, lib. 12.* ſed eos ſolos, qui armatæ militiæ atque expeditionis bellicæ cauſſa inſtructi, & quod verbo profitentur, re factoque præſtare parati ſunt, intelligamus. Sunt enim non pauci, qui ſibi tam nomen ac titulos militares, quam iura ac commoda vendicare velint. De quibus tamen magna ex parte non immerito dubitatur. Tales † ſunt, qui aurati ſeu 6
milites ſeu equites appellantur, quorum magnum numerum non in caſtris, ſed in otio vmbraque verſari videmus. Tales † ſunt item 7
ſacrorum Epiſcopi, Sacerdotes, omniſq; Clericorum turba, qui & ipſi milites, & quidem cœleſtes ſeu ſpirituales, vt loquuntur, haberi volunt. Itaque omnia priuilegia conceſſa a iure militibus veræ & armatæ militiæ, ad hos extendi volunt Dd. & gloſſ. quos refert Euerard. *in topic. in loc. a milite armatæ militiæ ad militem cœleſtis militiæ.*
Ad horum † exemplum Scholares quoq; & Doctores milites vi- 8
deri, militumq; ſibi priuilegia applicare nituntur. Quod vult gloſſ. *in l. Diuus, in verb. militarem, ff. de feriis, & in l. omnes, in gloſſ. 1. C. eod. in l. quæ pater, ff. familiæ erciſc. in l. nepos Proculo, ff. de verbor ſignific. Dd. quos refert & allegat Horat. Luc. de priuil. ſcholar. priuileg. 5.* Nec minus vero
Aduocati † & cauſſarum patroni idem nomen atque ius iactitant: 9
quibus maxime ſpiritus ſubdunt verba Imperatorum, qui *in l. aduocati, 14 C. de aduocat. diuerſ. iud. Non ſolos,* inquiunt, *credimus imperio noſtro militare, qui gladiis, clypeis & thoracibus nituntur, ſed etiã aduocatos; militant namq; cauſſarum patroni, qui glorioſæ vocis confiſi munimine, laborantium ſpem, vitam & poſteros defendunt.* Ita † quilibet officialis dici-

tur miles, *l. vnic. C. in quibus causs. mil. fori præscript. vti non poss. toto tit. C. de priuilegiis eorum, qui in sacro palatio milit. lib. 12.* perinde ad alios
11 quoque idem nomen transfertur. Quomodo amanteis † militare ait Ouidius:

Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido.

12 Vnde Veneris prælia Plautus dicit in Persa. Vbi ad seruilia † quoque nomen militiæ applicatur. Seruo enim altero dicente:

Plusculum annum fui præferratus apud molas tribunus vapularis.

respondet alter:

Vetus iam isthæc militia est tua.

13 Catulum † in syluis militare, ait gloss. *in l. vnic. ff. de bonorum possess.*
14 *ex testament. milit.* Sic † vitam hominis militiam appellat Iobus. Et Seneca: Viuere, inquit, militare est. Ita in plura ac diuersa genera verbum hoc per abusum transferri exempla testantur. Omnibus tamen vere illud ac proprie tribui, & proinde priuilegia quoque militaria iisdem competere, nemo vnquam dixerit.

Capvt IV.

Qui veri sint milites, quibus priuilegia sua leges legumque conditores impertiri velint, disquiritur?

EPITOMA.

1 *Sex notas veri militis glossa tradit.*
2 *Quæ mihi non placent, vt vel pauciores æquo, vel plures.*
3 *Militare qui iure prohibeantur.*
4 *Negotiatores an militare prohibiti, definitum.*
5 *De stigmate militari.*
6 *Ratio per signa & notas definiendi improbatur.*
7 *Priuilegia militum non habet protinus quisquis miles est, & num. 17.*
8 *Militis veri descriptio.*
9 *Miles ab eo, qui potestatem habet hoc faciendi lectus esse debet.*
10 *Omnes, qui ab eo, cuius est potestas, leguntur, milites fieri possunt.*
11 *Miles sacramento deuinciri debet.*
12 *Nec minus in numeros referri.*
13 *Interpretatio l. vnicæ, §. fin. ff. de bonorum possess. ex testamento militis.*

14 Qui

14 *Qui iniusta sequuntur arma, non milites sunt, sed latrones: nec quæ capiunt sua faciunt.*
15 *Belli iusti definitiones.*
16 *Bellum geritur, vt pacem habeamus.*

VIdeamus ergo, qui veri sint milites, & quibus priuilegia sua leges legumque conditores impertiri velint. Enimuero † gloss. 1
in l. miles, penult. ff. ex quibus causs. maiores, &c. sex ait esse necessaria, vt quis sit miles, vtique priuilegiis militaribus frui possit. Primo, vt non sit negotiator, *argument. l. 1. C. negotiatores ne militent, lib. 12.* Secundo, vt examinetur, *l. 1. C. qui militare possunt, d. lib.* Tertio, vt præstet sacramentum per genium Principis & DEVM Omnipotentem: vt est apud Vegetium *de re militari.* Quarto, vt ei ensis cingatur, *l. filius familias. ff. de milit. testament.* Quinto, stigma, id est, nota publica, brachiis debet inscribi vel imponi, *l. 3. C. de fabricensibus, lib. 11.* Sexto, in numero aliorum debet poni & scribi, *l. ex eo. ff. de militis testamento.* Sex ista tanquam non dubias veri militis notas, his versibus antiquiores complexi sunt:

Signa, mucro, scriptum genus, examen, sacramentum:
Hæc sex, quæ dixi, debent in milite quæri.

Ex his plerique Doctores argumentari solent, quando militem quem esse, vel non esse, probare volunt. Mihi autem, † quod bo- 2
na illorum venia dixerim, plane incerta illæ notæ atque inutiles hoc numero esse videntur. Nam seu prisca Romanorum illorum conditorumque iuris huius, seu nostra etiam tempora inspexeris, notas hasce vel pauciores æquo vel plures esse fateri cogeris. Primam enim notam ponunt, vt non sit negotiator, qui miles esse velit. Quid si vero negotiator quidem non sit, & reliqua etiam signa militis habeat, sit interim seruus. Nam † & hic mili- 3
tare prohibetur, *l. ab omni, 11. ff. de re militari*, vt & ingenui bona fide seruientes, aut qui status controuersiam patiuntur, *l. qui status 8. ff. d. tit.* Item agrorum cultui & animalium custodiæ dediti, *l. milites, 15. C. de re militari, libr. 12.* Ita coloni nulla ratione ad quemuis humilioris militiæ locum admittuntur, *leg. colonos, 19. Cod. de agricolis & censitis, libr. vndecimo*, vt nec apparitores magisteriæ potestatis, *dicta leg.* nec ad bestias dati, *leg. qui cum vno, 4. § 1. ff. de re militari*, adulterii vel aliquo iudicio publico damnati, *d. l. § adulterii, 7.* deportati, *d. l. § 2.* relegati, *§ 3. & § sequent. ibidem*,

ignominia missi, *§.ignominia,6.ibid.* rei captalis criminis, *d.l.§.5.* & alii complures. Ex quibus omnib. cur sola negotiatio electa sit, cuius absentia sit militis signũ, haud video. Nam si in examine illa deprehẽdi posse, ac proinde sub eo signo contineri dixerint, certũ est, negotiationem æque atq; illa examine vestigari ac notari posse. Aut igitur illa omnia inter signa, aut nullum (quod ego malim: cum vbi signa affirmantia haberi possunt, negantia superuacua fiant) poni
4 debet. Accedit, † quod hodie mos ille reiiciendi negotiatores mutatus ex parte est. Male enim alioquin cum multis ageretur. Neutiquam igitur hodie mercatores negotiatoresque militare prohibentur, dum non in ipsa militia & prætextu eius negotiari velint, *fac.l.vnic.C.negotiat.ne militent, lib.12.l.ex præstatione,7.C.de vectigalib.* Sic & de ceteris quædam notis, partim immutatæ, partim penitus
5 sunt sublatæ : stigma † inprimis. Quod vtrum antiquissimis Romanis vsitatum fuerit dubito, (certe Iustus Lipsius *lib. 1.* de militia Rom. in fine, sub Principibus demum hunc morem cepisse non
6 ambigit) & hodie omnino obsoleuit. Quin † vniuerse modus iste, per notas seu signa definiendi rem subiectam, nec tutus, nec planus, nec omnino eruditus esse potest. Itaque & illud in ista glossa Accursii desidero, quod ait, militem hisce sex notis insignem priuilegiis militaribus potiri. Quod ego penitus verum nego. Potest
7 enim † aliquis esse, & notas supra dictas circumferens, & omnino adeo miles, cui tamen quædam priuilegia negentur: vt satis ostendunt *l.vlt.C.quibus non obiicitur longi temporis præscript.l.1 ff.de re milit. l.vlt. C.de restitut. milit.* vbi Bald. *sola,* ait, *militia non præbet beneficium restitutionis in integrum, sed occupatio circa res militares.* Ita non militum testamenta, sed a militibus facta, confirmantur, *l.Titius,25.l.33. in princ.ff.de testament.milit.* & castrense peculium non est quidquid habet miles, sed quod occasione militiæ adquisiuit, *l.castrense,11.ff. castrensi pecul.* Et faciunt huc omnia iura & leges, quæ militibus quatenus in expeditione castrisque agunt, priuilegia sua largiuntur: vt deinceps passim videbimus. Ex quibus omnibus, quam parum in principio huius capitis motis quæstionibus ista satisfaciant, euidens esse opinor.

8 Mihi si † militis notas aut descriptionem tentare liceat, dicam esse personam, ab eo, cuius est belli gerendi potestas ad iustum bellum lectam, in numeros relatam, sacramentoque firmatam. Cum lectam dico, cum ab eo, qui potestatem habet lectam, omneis illos quibus

quibus militare non licet excludo. Lectum † enim initio militem 9
esse oportet, *l. antepen. ff. de testament. mil.* vt pluribus docet Vegetius
lib. 1. de re militari, c. 2. & seqq. Et hoc ab eo, cui id facere ius: quoniam
vt fias miles, auctorem certum habeas, & publice, non priuatim, ad
militiam vocatus sis, necesse est, *l. neminem, 16. Cod. de re milit. libr. 12.*
l. milites, 4 C de offic. magist. milit. fac. l. 1. in princ. ibi, ab Imperatore cuiue
de ea re statuẽdi potestas fuerit, ff. de his, qui not. infamia. Simul & ille obex
remouetur, † quo illi, quibus interdicta militia, vt paulo ante, mi- 10
lites fieri non posse videntur. Ego vero omneis vniuerse, ab eo cu-
ius est harum rerum arbitrium atq; potestas lectos, milites fieri pos-
se, aio. Quoties enim e seruis exercitus Romani, illi accuratissimi
militaris disciplinæ custodes, scripserunt? T. Liuius lib. 22. annaliũ:
Aliam formam noui delectus inopia liberorum capitum ac necessitas dedit:
octo millia iuuenum validorum ex seruitiis, prius sciscitantes singulos, vel-
lent ne militare, emta publice armauerunt. Hic miles magis placuit, cum pre-
cio minore redimendi captiuos copia fieret. Et li. seq. de Sempronio Grac-
cho: *Concordiæ maxima erat cura duci. Itaq; legatis tribunisq; præceperat,*
ne quam exprobratio cuiquam veteris fortunæ discordiam inter ordines sere-
ret: vetus miles tyroni, liber voloni se exæquari sineret. Omneis satis honestos
generososq; ducerent, quibus arma sua signaque popul. Roman. commisisset.
Ita stipendiarios aratores milites factos, legitur apud Hirtium de
bello Africo. Opificum quoq; vulgus & sellularios, minime militiæ
idoneum genus, bello Gallico excitos, ait id. Liuius lib. 8. annal. Sic
Othonem Cæs. in exercitu habuisse, ait Tacitus lib. 2. hist. duo mil-
lia gladiatorum, deforme auxilium, sed per ciuilia arma etiã seue-
ris ducibus vsurpatum. Hisce † præmissis sacramenti quoq; vinculũ 11
accedat oportet, *l. milites, 13. §. missionum, ff. de re militari, l. vlt. §. 1. d. tit.*
l. 3. C. de castrens. pecu. milit. Nec minus † vt in numeros sis relatus, *leg.* 12
antepen. & l. iure militari, & l. quod dicitur, 38. §. 1. ff de testam. milit. l. eos,
qui, 3. cum l. seq. C. de officio mag. mil. Nam † quod attinet ad *l. vnicam,* 13
§. fin. de bon. poss. ex testam. milit. quæ directo contrarium statuere vi-
detur; esse videlicet militem etiam qui in numeris non est: scias ve-
lim, hanc confirmare magis præcedentia quam destruere. Omissa
enim interpretatione glossę, certum est, legem illam in suo tantum
casu loqui, & omnem interpretationem ex *l. penult. vbi Bart. ff. de te-*
stam. milit. cum simil. accipere. Quæritur enim, si quis militum ex a-
lio numero in alium transferatur, vtrum tẽpore intermedio, dum
hinc exemtus, illo nondum translatus, mox tamen transferendus

est, possit iure militari testari? Posse vero, respondet Vlpianus. Esse enim militem, quamuis in numeris non sit. Non vniuerse ait, quemuis posse militem esse, licet in numeris non sit. Sed hunc posse vt militem testari ait, quamuis in numeris non sit; quia videlicet mox in numeros est referendus, vt narratio casus haud ambigue docet. Mox enim cingendus habetur pro cincto, *d. l. penultim.* Et egregie hoc confirmat *l. quod dicitur, §. 1. ff. de testam. milit.* quę militis testamentum, in priore militia factum, ratum esse iubet: quasi coniuncto munere militiæ, hoc est, quasi vno tenore continuam, nec vnquam interruptam militiam militasset: Quibus adde, quæ in libris de priuilegiis iuris ciuilis *libro 2. cap. 4. numero 139.* de hac re-
14 gula dixi. Iustum vero bellum esse omnino oportet. Nam † vt iniustum bellum latrocinium rectius quam bellum appellatur, ita qui tali operam locant, latrones potius prædonesque quam milites sunt habendi. De quo & Baldus *in leg. 1. in fine. Codic. qui bonis cedere poss.* Itaque nec quæ capta sunt aut occupata istiusmodi ratione quisquam facit sua, vt censet Iohann. Faber *Institut. de rerum diuision. §. item ea quæ*, non magis quam latrocinio parta. Quod autem iu-
15 stum † sit bellum, definitur ex sententia Isidori *in capit. iustum, 23. quæstion. 2.* quod ex edicto geritur, de rebus repetendis, aut hostium propulsandorum caussa. Et ex Augustino in *capit. dominus ibidem*, iusta bella definiri solent quæ vlciscuntur iniurias, si qua gens vel ciuitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit quod a suis improbe factum est, vel reddere, quod per iniurias ablatum est. His adde *l. 3. §. eum igitur ff. de vi & vi armata.* Vim enim vi repellere licet. And. Gailius lib. 1. de pace publica cap. 4. num. 40. Bellum, inquit, quod pro defensione suscipitur propria, aut rerum suarũ, aut recuperandis rebus ablatis, pro defensione patriæ aut ciuitatis suæ, aut contra subditos rebelles, & omnium maxime quod geritur cõtra infideles Turcas, perpetuos fidei Christianæ hosteis, iustum est & licitum. Guido Papæ in decision. Gratianopolitanis, *c. 191. n. 3.* vt iustum dicatur bellum quinque requiri ait: personam, rem, caussam, animum, auctoritatem. Accuratius paulo Iust. Lipsius lib. 5. Polit. cap. 4. Iustum ait esse bellum, quod hæc tria habeat, auctorem, caussam, finem. Auctorem esse ipsum Principem, aut quisquis in Republ. principem locum tenet. Caussam duplicem esse defensionem & inuasionem. Illam rursus duplicẽ esse, tuam & alienã. Hanc iustam esse, cum nostra armis repetimus. Finem armorum, nec vltionem

tionem esse nec gloriam, nec ambitionem, sed solam tranquillitatem & tutelam. Hæc ille. Nam, vt ait *c. noli, 23. q. 1.* pacem habere debet voluntas, bellum, necessitas. Non enim pax † quæritur, vt bellũ 16
excitetur, sed bellum geritur, vt pax adquiratur. Quod prius & elegantius dixit Aristoteles lib. 10. Ethic. Nicom. c. 7. Ἀσχολούμεθα ἵνα σχολάζωμεν, καὶ πολεμοῦμεν, ἵνα εἰρήνην ἄγωμεν. Et Cicero lib. 1. de Offic. bella ait ob eam esse suscipiẽda caussam, vt sine iniuria in pace viuatur. Ex quibus satis, quod bellum licitum & iustum, quod minus sit, clarum esse opinor. Plura qui volet, videat Dd. *in leg. ex hoc iure, ff. de iustitia & iure, Bartol. in l. hostes, ff. de captiu. & postlim. reuers. & in l. data opera, n. 66. C. qui accusare non poss. Innocentius in cap. olim 1. de restitut. spoliat. & in capit. sicut, de iureiurand. & in cap. quod super, de voto & vot. red. Baldus in l. 2. numer. 7. C. de seruit. & aqua, & in consil. Ad bellum iustum, 439. per totum, volum. 5. Didac. Couarruuiam in relect. cap. peccatum, de regul. iuris, libr. 6. § 9.* & complures alios. Hæc interim de militis definitione dicta sufficiant.

Alteri † quam in principio captis proposuimus quæstioni supra 17
satisfactum opinor. Nec enim sufficit, vt militem te esse probes? sed tenorem caussamque vniuscuiusq; quo vti cupis priuilegii accurate inspicere te oportet, & si quam insuper conditionem & occasionem in milite requirit, considerare, quod nisi adsit, priuilegio quoque tali, quamuis omnino sis miles, minime gaudebis: vt satis dict. *l. final. C. de restitut. milit. dict. l. vlt. C. quibus non obiicitur longi temporis præscript. dict. l. vnica, ff. de bonorum possess. ex testament. mil. d. l. vltim. ff. de testament. mil.* & aliæ plurimæ docent. Quibus adiice quæ tradit Felinus *in procem. Decretal. colum. 10. versic. quarta conclusio, & deinceps.* Exempla huius rei infra plurima habes: inprimis priuilegium XVI. quod testamenti factionem liberam militibus indulget, numero 11. & sequenti, proprium apertumque tibi huius sententiæ suppeditat documentum.

CAPVT V.

Præsidiarii, Stationarii, Limitanei, Stipatores, Vigiles, in hybernis locati, & similes, an milites, quæritur?

EPITOMA.

1 *Tales non videntur milites esse.*

2 *Expeditio, militia, castra, idem valent: idemq; est, in expeditione, in castris, in militia esse.*

3 *Miles est qui ad bellum legitur, nec interest, præsens illud an futurum sit.*

4 *Miles habitu, non actu definitur. Est enim miles, qui belli propulsandi caussa lectus est, licet non ipso facto in acie & puluere versetur, & n. 17.*

5 *Milites taleis ceteris non minori esse vsui monstratur.*

6 *Non minus est Imperatoris, consilio superare quam gladio.*

7 *Prædam ex æquo inter eos qui pugnauerant & qui in castris remanserant partiri, lex diuina eussit.*

8 *Limitanei perq; ciuitates & castella positi, milites appellantur.*

9 *Vigiles milites sunt*

10 *Et qui in scholis exercentur.*

11 *In patria militantes milites sunt, & pro absentibus habentur.*

12 *Nocturni custodes Romæ milites appellantur, & n. 17.*

13 *Militibus priuilegia dantur, quia discedere a signis non debent, sed frequentes in numero suo esse coguntur.*

14 *Quod de his quoq; accipiendum qui in hiberna iusta deducta sunt.*

15 *Milites an sint qui aduersus cineis aut subditos comparati videntur.*

16 *Milites qui leuioribus, nec plane militaribus ministeriis adhibentur, non desinunt esse milites.*

18 *Sententia nostra Iac. Cuiacij calculo firmatur.*

19 *Etiam a legibus hice milites appellantur.*

20 *Et his quædam, non omnia, priuilegia negantur.*

21 *Expeditio aliquando pro actu militiæ sumitur.*

22 *Miles etiam præsens absentis vice habetur.*

23 *L. antepen. ff. de militari testam.*

24 *Hi omnes, dum ab his qui potestatem habent gerendi propulsandique belli caussa lecti, in numeros relati, sacramentoq; deuincti, milites sunt, & priuilegia militum habent.*

QVoniam igitur qui veri sint milites, & quatenus eis militaria priuilegia congruant, satis dictum: non difficulter hac regula omneis illos qui militum titulos sibi ac iura vendicant examinabimus, & vere hoc faciant, an minus, comperiemus.

Primi nobis erunt præsidiarii milites & similes, qui oppidi, arcis, lociue cuiuscunq; custodiendi, aut Principis, Senatus, magistratus publici, stipandi caussa aluntur. De his vtrum veri milites, ac priuilegiis

uilegiis proinde digni habendi, quæritur non immerito. Hi enim plerunq; in † media pace, nec tam contra hostes, quã ciues aut subditos comparari videntur. In superioribus autem, ad bellum delectos esse milites diximus. Itaq; M. Brunus *in tract. de cessione bon. q. 11. quartæ princ. n. 2.* cum stipendiarios nostri temporis, armigeros esse, non milites, ait, de hoc hominum genere sentire videtur. Et Zasius *consil. 6. nu. 20. vol. 1.* itemq; Viglius *§. illis, Instit. de testam. mil.* referente A Gailio, lib. 2. obseru. 118. num. 13. stationarios huiusmodi & limitaneos milites, iure communi testari debere concludunt, cum sint extra periculum belli, & peritiores consulere, pluresq; testes haberi possint. Quibus adde Wesenbec. *Instit. de mil. testam. §. 1. n. 5.* Vbi eos, qui distributi sunt in hyberna aut limitanea loca & oppida vel alias sedes, commorandi potius quam pugnandi caussa assignatas, testaturos militariter negat. Pro his pugnant non mediocriter *l. pen. C. de testament. milit. l. antepenult. ff. eodem*, *§. illis autem, Institu. eodem, l. vlti. C. quibus non obiicitur long. temp. præs. & l. vltim. C. de restitu. milit. leg. si maritus, 15. §. quod si quis, & § sequent. ff. ad leg. Iul. de adult.* quæ his solis militibus qui in expeditionibus occupati sunt, ea tantummodo tempora quæ in eadem expeditione percurrunt, opitulari, aiũt: illis temporibus, per quæ citra expeditionum necessitatem in aliis locis vel suis ædibus degunt, minime eos ad vindicandum priuilegium adiuuantibus. Hic † igitur primo omnium operæ precium est scire, quid sit proprie expeditio, quid in expeditione esse. Nam si in expeditione illi tantummodo degunt, qui in aperto cum hostibus bello & præliis versantur, certa res est. Nec tamen certa minus, si illi quoque qui in præsidiis & custodiis agunt, in expeditione esse dicuntur. Ego itaque confirmo, in expeditione esse, idem esse quod militare, argumento *§. sed hactenus, Institut. de milit. testament.* Nam quod in *§. 1. ibidem, & dict. legibus* Imperator vocauit *in expeditione esse*, id hoc loco *militare* appellat. *Hactenus*, inquit, *hoc illis a principalibus constitutionibus conceditur, quatenus militant:* non aliter, quam alibi, *his solis*, ait, *militibus, qui expeditione occupati sunt.* Nec obscure idem ex ipsis supra dictis legibus patet, dum expeditionis temporibus illa opponunt, per quæ milites in aliis locis vel suis sedibus degunt. Quod idem est, ac si diceret, dum nõ in militia sunt. Idem ergo expeditio & militia. Quod si quis dicat, in d. §. *sed hactenus*, militiam ad castra adstringi, cum ait: *Quatenus militant, & in castris degunt:* (quamuis pars illa, si rectius verborum dispositionem in-

Margin numbers: 1 (beside line 2), 2 (beside "gium adiuuantibus. Hic † igitur")

DD

tueamur, ad eos referatur tantum, qui cum milites non ſint, in procinctu tamen & caſtris, iiſdemq; proinde periculis verſantur, & iddeo teſtari quoq; militariter poſſunt) nec ego repugno. Sed & hic idem eſſe dico, caſtra & militiam, *fac. d.* §. *ſed hactenus.* Sic enim in caſtris eſſe dicitur, qui eſt in militia, & viciſſim. *Nulla fides pietasque viris, qui caſtra ſequuntur*, ait Poeta. Idem eſt, ac ſi *militiam* dixiſſet. Ita caſtrenſe peculium, *l. caſtrenſe, 11. ff. de peculio caſtr.* ait eſſe, quod a parentibus vel cognatis in militia agenti donatum eſt: vel quod ipſe filiusfamilias in militia adquiſiit, quod niſi militaret, adquiſiturus non fuiſſet, &c. Idem cõfirmant *l. miles, 4. & tot. tit. ff. de pecul. caſt. l. ſi filiusfamilias, 4. C. familiæ erciſcundæ, l. 1. §. ſi filiifamilias, ff. de ſeparation.* Huc pertinet gloſſa *in l. milites, 15. C. de teſtam. mil.* quæ *in expeditione degere*, interpretatur *in exercitu.* Ex quibus ſatis eſſe clarum opinor, in iure ciuili, maxime cum de iure militari loquitur, idem plane eſſe, in expeditione, in caſtris, in militia eſſe. Quare & iſti non in militia tantum, ſed in expeditione quoque & caſtris eſſe recte dicuntur.

Sed fortaſſe nequicquam laboro, & quidam non ius modo, ſed & nomen militium talibus (vt ſupra attigi) negabunt. Quod nun-
3 quam probaturos certum habeo. Nam † cum ad bellum legi debere, qui milites velint eſſe, dixi: bellum ſimpliciter dixi: nec vtrum præſens illud & in manibus, an imminens aut futurum eſſe debeat,
4 determinaui. Militem enim † non actu, ſed habitu definio: & eum militem appello, qui pacis conſeruandæ, belli propulſandi cauſſa comparatus eſt, licet non ipſo facto in acie & puluere verſetur, *tex. expreſſ. in l. in fraudem, 15. §. teſtamentum, & ibi gloſſ. in verbis Ante militiam, ff. de teſtam. mil. l. vniuerſi, 5. ibi, ſtationariis & vrbanis militibus, C. de vectigalibus & com. l. ſed & milites, 8. §. qui autem, ibi, qui inter nocturnos cuſtodes qui ſunt Romæ militauerit, ff. de excuſat. tutorum.* Itaque tales quoq; (nec enim alia de cauſſa quam ob militiam & actiones
5 militares comparati ſunt) milites vere dicuntur. Nec † enim ille ſolus militat, vt Seneca ait, qui in acie ſtat, & cornu dextrum læuumue defendit: ſed qui portas tuetur, & ſtatione minus periculoſa, non tamen otioſa fungitur: vigiliaſq; ſeruat, & armamentario præeſt. Quæ miniſteria quamuis incruenta ſint, in numerum ſtipendiorum veniunt. Maior eſt gratia & meritum illius, qui ignẽ in infima ædium parte & primo exordio oppreſſit, quam qui ſumma iam tecta & paſſim omnia tenens incendium ruina exſtinxit.

Itaq;

Itaq; talia præsidia, grauia sæpe bella, seditiones, insidias prohibuerunt atq; auerterunt. Quod nos prouerbio Germani notauimus: Ein Schwert behält das ander in der Scheiden/ hoc est, gladium gladio comprimi. Nec † ille minor est Imperator, qui hostem nomi- 6
nis solum & virium suarum terrore sine acie & puluere comprimit, quam qui eundem multo suorum sanguine & clade cruentus deuicit. Vnde tot victoriis præliisque clarissimus Iulius ille Cæsar, non minus esse Imperatoris ait consilio superare quam gladio. Huc pertinet † statutum atq; præceptum Dei, *numer.31.* vbi prædam ab ho- 7
ste partam ex æquo inter eos, qui in bellum exierant & reliquam multitudinem, quæ in castris remanserat, partiri iubet. Quod secutus est postea Rex bellicosissimus Dauid, libro 1. Samuel. cap. 30. cum in prædæ partem eos quoque, qui ad sarcinas substiterant, admittendos, exemplo factoque suo in perpetuum sanciuit. Idemq; & Romanis olim obseruatum tradit Polybius libro 10. histor. vbi ait, prædam tribunos æqualiter omnibus diuisisse, non solum iis qui in præsidiis aut subsidiis fuerant, sed & qui castra seruauerant: vt & ægris, sauciis, & muneris alicuius caussa alio missis. Et vide elegans consilium seu quæstionem in materia belli Angeli de Perusio, adiunctum Baldi commentar. in Institut. Nec ratio solum communis, sed legum quoque sanctiones, hisce militum nomen & iura assignant. Non † dubie quippe *lex 2. §. pro limitaneis, & §. cum* 8
autem, & §. sequent. Codic. de officio præfecti prætor. Afric. & lex 2. C. de fundis limitrophis, lib. 10. d. l. vniuersi, ibi, stationariis & vrbanis militibus, C. de vectigalib. limitaneos perq; ciuitates & castella positos, milites appellat. Ita † vigiles milites sunt, & iure militari testari possunt, *l.* 9
vnica, §. 1 ff. de bonorum poss. ex testam. milit. l. si maritus, 15. §. quod si quis, ff. ad l. Iul. de adult. Et qui in † scholis exercentur ac detinentur, mi 10
lites sunt, *l. final. circa med. C. de locato.* Imo † Romæ quoque in patria 11
militanteis, milites & absenteis haberi iubet, *l. milites, 7. ff. ex quibus caussis maior. in integr. restit.* Quomodo † & illos qui inter nocturnos 12
custodes Romæ sunt, milites appellat *l. sed & milites, 8. §. qui autē inter, ff. de excusat. tut.* Et sane non militaribus solum actionibus hi reliquis pares sunt, sed illa quoq; quæ longe prima est in priuilegiis militaribus caussa ac ratio, omnium cōmunis est. Nam, vt in seqq. docebitur, militib. † ideo inter cetera priuilegia dātur, quia discedere 13
a signis aut auocari a malitia non debent, *l. fi. C. de locat. l. milites, 13. in pr ff. de re mil.* Sed frequentes in num. suo esse, & armo ū quotidiano

exercitio ad bella se præparare iubentur, *l. milites, 15. C. de re militari, lib. 12.* Id quod nostris quoque, de quibus agimus, militibus dictum docet *d. l. vlt. C. de loca. d. l. 2. § pro limitaneis, C. de off. præf. Prætor. Africæ: & inprimis expresse l. nemo miles, 13. in prin. C. de re milit. lib. 12.* & ratio demonstrat. Nam & præsidio decedere capitale fuit, & in vrbe etiam constitutos milites sibi vacare, aut aliena obsequia sine nutu
14 principali peragere, vetat d. *l. nemo miles, 13.* Quod † ad eos, qui in hybernis sunt milites, non de his loquimur, quibus per commeatum in domibus suis aut alibi hybernare permittitur: sed de his qui more Romano iusta in hyberna deducuntur, vbi non minus ad si-
15 gna & numeros quam æstiuo tempore esse coguntur. Obiiciat † aliquis, aduersus ciues quoq; & subditos tales persæpe comparari. Is vero meminisse debet, non aduersus bonos ciues (loquor enim de Principe & Imperio iusto, non de tyranno: cuius ministri, non milites, sed carnifices, & scelerum consocii dicendi) sed contra rebelles, sceleratos, & publicæ quietis perturbatores, hosce militare: qua-
16 les non ciues, sed hostes Reip. perduellesq; iudicātur. Quod si † etiam leuiorib. interdum & non prorsus militarib. ministeriis adhibentur, non ideo protinus milites esse desinūt. Semper. n. talia ex præcipua & summa caussa, non ex accidente aliquo & minus digno æstimare debemus. Ita Augustum Cæs. incendiis cauendis atq; arcendis septem cohortes opportunis vrbis locis disposuisse, præpositis eis tribunis, & super omnes Præfecto vigilū, ait *l. pen. in pri. ff. de offic. præfecti vigilum.* Hi tamen & milites sunt & iure militari testan-
17 tur, dd. ll. Vt & † nocturnos Romæ custodes milites esse & militum priuilegia habere, ex d. *l. sed & milites,* supra ostensum. Et facit eodē *l. 4. § 1. ff. de offic. proconsul. l. si in aliam, 7. in fine ibidem.* Illa vero ratio, qua tales extra pericula & necessitates belli, & extra certamē ac prę-lia constitutos aiunt, nulla est. Nam præterquā quod nec isti extra omnem metū positi sunt, certe ideo lecti sacramentoq; deuincti, vt sicubi necessitas poscat Martis aleā sine tergiuersatiōe subeant, nō ob hanc solā, sed plures alias caussas militib. priuilegia tributa sunt: quæ quidē in his æque ac aliis locum suū habere possunt. Et in hac
18 sententia † est ICtus accuratissimus Iacob. Cuiacius, ita in consf. 49. de militari testamen. scribens: *Quod autem quæritur, an non aliter valeat testamētum iure militari, quam si fiat in procinctu: Respondeo, etiā si non fiat in procinctu, testamētum valere iure militari, modo fiat in expeditione in castris, in statiuis. Alioquin nihil distaret paganus a milite. Nā & a pagano in procin-*

procinctu, in acie, in hostico, quoquo modo factum testamentum valet, l. vlt. ff. de testam. milit. ratione pari, quod tunc temporis sit apud quemlibet inter mortua memoria legum & ceterarum disciplinarum. Ergo qui in expeditione testatur miles, in castris, in fossato, vt loquuntur, imo & qui in hybernis, vt meum iudicium est, in statiuis, in præsidiis, iure militari testamentum facere potest. Hæc ille.

Atque vt omnia magis in aperto sint, nec dubitationi locus vlli relinquatur, leges illas supra dictas, quę præsidiariis hisce seu stationariis militibus iura sua derogare videntur, penitius inspiciemus, & quid velint, quid valeant, diligentius excutiemus.

Ac primum dico, nomen † eas militum hisce relinquere omnino. Sic enim *l. penult. C. de testam. milit. his solis*, inquit, *militibus, qui in expeditione occupati sunt, &c.* quod perinde patet *ex § illis vero, Institut. eod. & ex l. fin. C. quibus non obiicitur longi temporis præscript.* Ergo & milites esse possunt, qui in expeditionibus occupati non sunt. Exceptio enim firmat regulam in casibus non exceptis. At *l. si maritus*, ea vero omnino expresse milites eos appellat: quemadmodum & illum, qui in ædibus suis præsens est, militem nihilominus vocat *l. ab hostibus, 15. §. si damni. ff. ex quib. caus. maior.* Vel igitur ex his ipsis argumentari possumus: Milites habent priuilegia. Hi sunt milites. Ergo. Sic plane *d. §. sed hactenus, Institut. de milit. testament.* extra castra alii, si faciant adhuc militantes testamentum, &c. Audis & extra castra militem quem esse posse. Sed longius progredior: & sic aio, † nullam istarum legum omnia his militibus priuilegia, sed quædam solum derogare. Quædam enim testari militariter prohibent: quædam absentiæ exceptionem & restitutionis beneficium negant. Non autem sequitur; militibus istis quædam negantur priuilegia: Ergo omnia. Imo rectius contrarium concludemus, per dictam modo regulam; Exceptio firmat regulam, &c. in hunc modum: Leges istæ militibus non in expeditione degentibus, quædam priuilegia auferunt: Ergo cetera relinquunt. 19 20

Sed & singulas ordine videamus. Igitur *in l. penult. C. de testament. milit. vt & §. illis autem, Instit. eodem, & in l. vlt. C. de restitut. milit. cum l. vlt. C. quib. non obiicit. &c.* expeditionē † pro actu militiæ sumi dico, idemque esse, ac si dicatur: Priuilegia circa vltimas voluntates, absentiam, restitutionem, his tantum competunt militibus, qui actu militant; non illis, qui vel vagantur, vel in suis sedibus aut alibi degunt. Ita enim lex alia aliam interpretatur. Nam † & *l. si maritus,* 21 22

DD 3

præsentem ad hunc modum militem, militare & absentis vice haberi fatetur. Interim accusari quidem vel deferri posse ait, non tamen ideo omnia absentis ei priuilegia eripit. Frustra enim aliomquin pro absente præsens fingeretur. At † *l. antepenult. ff. de testam. milit.* quam quidam obiiciunt, nihil plane nobiscum pugnat. Non enim quis testari possit, sed quis miles haberi debeat, docet. Nos vero in presentia de iis egimus, quos milites esse ostendimus, & priuilegiis quoque militum dignos.

24 Stat igitur † sententia, præsidiarios omnes, stationarios, limitaneos, stipatores, vigiles, & quocunq; alio nomine appellētur, dummodo ab iis, qui potestatem habent gerendi belli, belli propulsandi caussa lecti, in numeros relati, sacramentoque deuincti sint, milites esse. Nec nomen tantum, sed iura quoque, quæ militum proproprie sunt, hisce competere aio: sic tamen, vt communi omniũ militum lege non omnia protinus militaria priuilegia auferant, quoniam milites sunt, sed illa tantum, quæ ipsis & priuilegii vniuscuiusque natura, & propria conditio, tribuunt atq; permittunt.

Caput VI.

Equestres milites, quos Germani, Ritter/vocant, veros esse milites, & priuilegiis militum dignos, certo cum modo definitur.

EPITOMA.

1 *Milites isti, vt imaginarii, otiosi, indigni priuilegiis describuntur.*
2 *Veterani, qui rei militari non insistunt, priuilegia militum non habent.*
3 *Doctor solo nomine Doctor priuilegio Doctoris non gaudet.*
4 *Cessante caussa priuilegii cessat priuilegium.*
5 *Qui non sunt in matricula militum, censentur tanquam priuati.*
6 *Equites istos milites & priuilegiis dignos esse probatur, & num. 12. 17. 19. 21.*
7 *Miles non actu, sed habitu definiendus.*
8 *Tria equestrium militum genera.*
9 *Torquati equites.*
10 *Equites cruciferi seu Ecclesiastici.*
11 *Equites aurati.*

13 *Milites*

13 *Milites hosce maxime selectos probo.*
14 *Eosdem auctores habere præ aliis legitimos ostendo.*
15 *Belli iustissimi & pulcerrimi caussa hos lectos comparatosq; commonefacio: idq; sub religiosissimo sacramento.*
16 *Quomodo in numeros iidem referantur, doceo.*
18 *Milites isti non aliter quam commeatu accepto ab militia absunt.*
20 *Milites isti, si officium suum & quæ sacramento spoponderunt non præstant, veri milites non sunt, nec priuilegia talium habent.*
22 *Milites nostri, licet non habeant veteris obseruantiæ signa, habent tamen nouæ obseruantiæ insignia: vt Baldus loquitur.*

VEnio nunc ad aliud genus militum, qui Equites nuncupantur, Germanis Ritter/ vtētes † deauratis calcaribus, & vt refert 1
Cynus post Iacob. de Rauen. *in l. 1. in 6. quæst. C. de iuris & facti ignorant.* ense cinguntur, aqua balneantur, antecedere prætendunt in sessionibus, in potu, in honore, & cum quadam reuerentiæ prærogatiua salutari quærūt. Hos proinde inermis militiæ milites vocant M. Brun. *de cess. bonor. q. 11. 4. princ. n. 3. & Ioan. Bapt. Caccialup. de debitore suspecto, quæst. 5. n. 14.* Iacob. Pet. Cynus cum Baldo *in d. l. 1.* hos priuilegiis militaribus vti posse negāt, quoniam otio dediti sunt, &, vt loquuntur, quotidie stant super banchis, & per plateas ambulant: idemque affirmat Albericus *in l. militem, C. de procuratorib.* & idem Baldus *in l. in testamento, in fin. C. de milit. testament.* (quem sequitur Ioannes de Platea *in §. 1. num. 1. Institut. de milit. testament.*) dicens, quod milites Tusciæ, & maxime Florentini, qui magis mercantiis quam gloriæ militari student, & non Reipubl. caussa, sed ad pompam militant, militū priuilegiis non gaudent, quia tanquam priuati sunt; allegans notata per gloss. *in l. eos, C. de offic. mag. milit. & in l. penult. ff. ex quib. causs. maior.* Ita sentiunt etiam Canonistæ *in cap. nostra, de procurat. & in c. cum desideres, de sent. excom.* itemq; Specul. & Ioan. And. *in § 1. versic. item quod est miles, in tit. de procurat. & in § . 1. vers. item excipitur, quod est miles, in tit. de accusat.* Sic & Bart. *in l. filiusf. §. veterani, ff. de procurat.* milites nostri temporis, quia nō habitent in castris, sed stent per plateas, procuratores esse posse ait. Imo & tutores, licet nolint, *per Cyn. in d. l. 1. & Angel. ab Aret. in §. item maior, nu. 3. Instit. de excus.* adeoq; omnibus militū priuilegiis indignos, *idem Ang. in §. filiusf. n. 4. Inst. quib. mod. ius patr. pot.* Esse sane cōfitetur Bar. quatenus habeant auctoritatē superioris & faciāt professionē militarē, veros

milites: ſed militiam eorum priuilegiatam non eſſe, & in actibus ſuis vti iure communi affirmat. Facit autem pro his ratio, quod
2 iura † de militibus loquentia, in veteranis, qui rei militari non inſiſtunt, locum non habent, *l. ad veterani, ff. ad leg. Falcid. l. filiusfami-*
3 *lias, § veterani, cum l. ſeq. ff. de procurat.* Sic † & Doctores, qui in expeditione & exercitio aduocationis non ſunt, ſed ſolo nomine, & & non actu ſunt Doctores, priuilegio Doctorum non gaudent: vt cenſet Alexand. *in l. centurio, in 4. col. in princ. num. 17. verſic. & ſic re-*
4 *manet concluſio.* Ceſſante præterea priuilegii † cauſſa, priuilegium ceſſare debet, *l. Titio Seio, § vſuras, de legat. 2. l. generaliter, C de Epiſcopis, &c.* De militibus vero ſtatutum eſt, vt armis ac Reipublicæ ſint operati. Quod cum a noſtris militibus non fiat, ſequitur, & priuile-
5 gia hiſdem negari. Item, † qui non ſunt in matricula militum cenſentur tanquam priuati, *gloſſ. in l. eos qui, C. de offic. mag. milit.* quam reputat memorabilem Bald. *in l. non ignorat, col. 5. in princ. verſic. in clericatu, C. qui accuſare non poſſ.* Noſtri vero non ſunt in matricula. Ergo, &c. His & ſimilibus argumentis, Doctores noſtri omneis, qui non in caſtris & expeditione ipſo facto verſantur, priuilegiis militum excludere penitus annituntur. Quod ego iniquum eſſe & contra ius noſtrum affirmo.

6 Copioſe enim † non multo ante monſtraui, eos quoque milites eſſe, qui tempore pacis, ſed ad bellum (præſens, an futurum, nihil
7 intereſt) comparati ſunt. Militem † enim non actu, ſed habitu definiendum cenſeo: eumque militem voco, qui bello rite paratus eſt, licet non ipſo facto inter manus & tela hoſtium verſetur, *textus expreſſus in l. in fraudem, 15. § teſtamentum, & ibi gloſſ. in verſic. ante militiam. ff. de teſtament. milit.* Vt contra non vtique miles eſt, qui in caſtris eſt, *l. tribunus, 20. in princ. d. tit.* Itaque & iſtos equites militiæ armorumque cauſſa factos, milites eſſe, militarique iure dignos affir-
8 mo. In † tria autem hi vulgo genera diſtinguuntur. Primum eſt eo-
9 rum, quos † Torquatos appellant, ſic dictos ab torque, qui ordinis (ſic enim appellant) cuiuſque inſigne ſolet eſſe. Tales ſunt equites aurei Velleris, quorũ caput eſt & auctor Dux Burgũdię. Item equites Diui Georgii, quorũ inſigne eſt vinculum ſeu periſcelis ſiniſtri pedis: auctor item atque caput Rex Anglię. Equites Diui Michaelis, quibus præeſt Rex Franciæ. Et ſimiles alii. Alterum † genus eſt
10 eorum, qui cruciferi a crucis inſigni, & ſpirituales ſeu Eccleſiaſtici, partim quoniam tota ipſorum militia aduerſus hoſtes fidei compa-

rata

rata eſt, partim quia militiæ ſacros quoque ordines coniungere ſolent, appellantur. In horum numero longe primi ſunt equites ſeu milites Diui Ioannis, ordinis Diui Auguſtini, olim Rhodi, hodie in Melite inſula ſedem habentes. Tales olim fuerunt Templarii, quorum ordo deletus eſt. Tales equites Theutonici ſeu Diuæ Virginis. Item milites Diui Iacobi in Hiſpania: Calatrauenſes: Ieſu Chriſti: Diuæ Mariæ de redemtione, quod his redemtio captiuorum curæ debet eſſe: equites Diui Stephani, a Coſmo Medice Principe Florentinorum anno 1569. inſtituti: & ſimiles. Tertium
genus † eſt auratorum, qui ſic & a calcaribus, quibus inſigniuntur 11
auratis appellantur: & communi omnium nomine Equites, ſeu Milites, Ritter / vocitantur; quoniam non ſub certo quodam, ſed communi reliquorum genere continentur.

Hos ego omneis, † dum legibus ordinis ſui pareant, milites eſ- 12
ſe, iureque adeo militari frui poſſe, affirmo. Omnes enim his notæ, & inprimis definitio militis ſupra poſita, egregie aptiſſimeque conuenit. Illæ quidem ſex a gloſſa deſcriptæ notæ, de quibus ſupra pluribus, in iis omnes non inueniuntur. Sed nec in alio vllo hodie, ob mutatam nimirum militaris diſciplinæ formam, repe-riuntur. Aut igitur notas iſtas inaneis, aut nullum hodie penitus militem (abſurdum dictu) eſſe oportet. Ex definitione igitur militis in præſentibus rectiſſime ac veriſſime argumentari poſſum.
Primo quippe † lectos, ac maxime ſelectos conſtat. Non enim tan- 13
tum, nec adeo generis in his excellens quædam, ſed inprimis morum quoque & factorum probata nobilitas, vitaque omni labe criminum & vitiorum carens, requiritur. Ita quidem hoc & ea lege, vt & anteacta vita talis fuerit, & ſequens non deterior exſiſtat. Quod in aliis militibus tamen non ita ſtricte deſideratur. Nec minus animi robur, ceteræque militares conditiones ab his requiruntur. Ante omnia tria crimina, hæreſis, proditio, deſertio, ab his
abeſſe iubentur. Auctorem † vero armorum ſuorum legitimum 14
quis hoſce habere negabit, quos a ſummis & præcipuis Chriſtiani orbis Regibus ac Dynaſtis lectos approbatoſque videmus? Belli
item † cauſſa & militiæ hoſce lectos, vndique, & maxime ex for- 15
mula ſacramenti, quo capiti ſuo obſtringuntur, clarum eſt. Nam Principi auctoriq; ſuo, a quo in ordines referuntur, quoties ipſius poſtulat neceſſitas ac periculum, ſe adfuturos, proque ipſo armis propugnaturos, dignitatem eius, honorem, atque iura per omnem

vitã defenſuros, iurant. Alii magna pars, aduerſus ſolos fidei hoſtes perpetuũ ſe bellum geſturos fide ſacramẽti ſpondent. Vniuerſi aũt pro miſerabilibus, quas vocamus, perſonis veluti viduis, pupillis, orphanis, pauperibus, captiuis, & ſimilib. quotieſcunq; opus fuerit dimicaturos religioſe ꝓmittunt. Nec ad certũ tẽpus, ſed cũ aliis finitũ ſtipẽdiorũ tempus finẽ militię faciat, hi ad finẽ vſq; vitę ſine miſſione obligãtur. Hos quiſquã belli cauſſa, & quidẽ iuſtiſſimi belli cauſſa, lectos negabit? Pręſertim cũ, vt iã meminimus, ſacramẽto quoq; oẽs acerrimo maximeq; ſolẽni & religioſo obſtringãtur. In nume-
16 ros † vero omneis referri fatebitur, q. ob hoc ipſum ordinẽ eos peculiarẽ ſortiri, inſignib. certis ornari, dies etiã certos, quib. quotãnis
17 cõueniãt habere, cõſiderabit. Milites † igitur hos, ſi quos alios, eſſe cõſtat. Si milites, cur iura militaria (q̃ quidẽ eis cõueniãt) negemus, cauſſam nõ video. Nã ſi quiſquã eos nõ ſemper armis intereſſe, ſæpiuſq; in ædib. ſuis & alibi extra militiã cõſpici, dicere velit: ei ſufficere puto, q̃ ſupra dicta ſunt, cum illos quoque, qui nõ in ipſa dimicatione verſantur, dummodo in numeris maneãt, milites eſſe, nec
18 ob id omni iure militari ſpoliãdos, oſtẽdimus. Noſtri † enim hi nõ aliter q̃. cõmeatu accepto a militia abſunt. Commeatus vero venia minime ius militare tollit, *l. vnic. C. quib. cauſ. mil. for. præſc. vti nõ poſſ.*
19 Atq; † vt vniuerſe de his ſtatuã, ſcire te volo, tutiſſimã & certiſſimã harũ omniũ controuerſiarũ diſceptationẽ ex definitione militis ſumẽdã, vt quatenus hæc cuiquã, qui ſe ꝓ milite gerit, congruit,
20 hactenus & nomen & iura militaria cõcedantur. Non † n. ignoro, multa hodie abuſũ incõmoda circa optima inſtituta inuexiſſe: nec me fugit, nõ paucos eſſe, q. & titulos & inſignia equeſtria ac militaria adipiſcãtur, cũ nihil minus q̃. milites ſint, ac neq; facta neq; animos militares oſtẽdant: imo, ſi ad bellũ vocẽtur, quiduis facere potius q̃. arma & enſes induere ſint parati. Horũ itaq; imaginaria, &, vt ſic loquar, honoraria militia eſt. Quib. illa quidẽ priuilegia & titulos, q̃ ab legitimo auctore rite acceperunt, relinquẽda ac tribuẽda iudico: iura vero, q̃ militib. ius noſtrũ largitur, haudquaquã Itaq; & illa, quę de equeſtribus ordinib. hactenus dixi, eatenus accipi volo, quatenus illi in officio manẽt, & ea, q̃ inſtitutio ac conditio militiæ ipſorũ requirit, exſequũtur, exſequi vel ſunt parati. Non. n. quid fiat, ſed quid fieri debeat, ſpecto: ſecundũ *l. ſed licet, ff. de offic. præſid.* Satis quippe notũ eſt, multos eſſe, q. titulos & redditus iſtius generis militũ poſſideãt, officiũ aũt & facta ignauiſſime intermittã. Hos mea ſenten-

sentētia nunq̃ aut nomē aut iura veri militis admittet. Nam & Dd. quos adeo militib. nostris contrarios superiora mõstrarunt, de illis tantũ sensisse, aut certe odio istorum longius euectos crediderim. Illi † vero ꝓ quib ego propugno, licet nõ omneis notas & insignia 21 habeant, q̃ antiqui illi Romanorũ legionarii, nec ēt in castris semper & puluere hostili versentur: eundē tñ finē ac propositũ cũ illis habent, nec re ipsa, sed ritib. tantũ quibusdã discrepant. Nam vt cetera Rom. Reip. administratio, ita militaris disciplina ritusq; nõnihil sunt immutata. Itaq; & Bald. *in l.1. C. qui bon. ced. pos.* nostri tēporis milites vetera priuilegia habere cõfirmat. Licet †.n. veteris obser- 22 uantiæ signa nõ habeant, q̃ in militib. requirebantur, habere tñ eos nouæ obseruantiæ insigna, q̃ iure cuiusdã translationis loco veteris successerunt: vt habetur *in cap. translato, & ibi Felin. in 3. col. in princ. vers. & ibid. Bal. de const.* Eadē ꝓinde cum in his ratio sit, q̃ in veterib. eadē quoq; iura seruãda cõcludo. Quod censet ēt Io. Fabr. *in Inst. in rub. tit. de test. mil. n. 3. & in §. itē maior, in ver. minores, n. 1. Inst. de excus. tut.*

Atq; de his duobus militũ generibus, de quibus dubitandi caussa nonnulla fuit, satis dictum opinor. Nam ꝙ ad argumenta contraria attinet, illa partim aperte hactenus & sufficienter refutata puto, & siquid etiã minus directo factũ est, ex præcedentib. tamen plenam ac veram omnium dilucidationē solutionemque, vnumquemque, qui ea diligenter ac sobrie inspexerit, haurire posse non dubito.

Capvt VII.

Clericos, Aduocatos, Scholares, Doctores, Ministros Principis, & similes, nec milites proprie dici, nec priuilegia militũ eis recte tribui, probatur.

EPITOMA.

1 *Clerici, Aduocati, Scholares, Doctores, Ministri Principum, milites improprie dicuntur, nec militum priuilegia habent.*

2 *Militia armata & inermis.*

3 *Priuilegia militaria armatæ militiæ dantur, non inermi.*

4 *Voluntas legum & legislatoris spectanda & conseruanda.*

5 *Priuilegia secundum qualitatē personæ, & negotii, de quo agitur, interpretari oportet.*

6 *Interpretatio nec plus, nec minus, nec diuersum introducere debet ab eo, quod voluit ipse priuilegii labor.*

7 *An vi l. aduocati, 14. C. de aduoc. aduocati nomen & priuilegia militum habeant inquisitum.*

8 *Militaria iuris nostri priuilegia ad solos armatos milites proprie pertinent.*
9 *An Præfecti & Tribuni militum milites sint, dubitatur?*
10 *Imperator milites Commilitones appellat.*

RESTARE videtur, vt de ceteris quoque, qui, vt ab initio monui-
1 mus, iura sibi militaria vendicant, inquiramus. Hi sunt, † Clerici, Aduocati, Scholares & Doctores, Officiales & Ministri Principis, cum similibus. Hos ego, ne multa, omnes, milites improprie ac translate penitus dici, iura vero militaria & priuilegia nullo iure vel auctoritate sibi arrogare, confirmo. Ipsorum enim, qui pro hi-
2 sce propugnãt confessione vtor. Illi quippe † omnes, militiã aliam armatam, aliam inermem (nec legibus destituuntur) faciunt. Alii vero, sed minus bene, aliam armatam, aliam inermem, aliam cœlestem, constituunt militiam. Sed rectius & accuratius cœlestis quoque militia ad inermem refertur. Vtcunque autem sit: nemo istorum hosce sub armata militia contineri dicet. Atque ego ipse omnium merito ineptissimus sim, si id argumentis aut verbis copio-
3 sius astruere coner. Potius ita † concludo: Priuilegia militaria armatis militibus dantur: Clerici, Aduouocati, & reliqui, non sunt armati milites. Ergo nec priuilegiis militum fruuntur. Primam propositionem prouocatione probo & inductione. Omnia enim in iure ciuili militibus data priuilegia, si ordine singula inspicias, de armatis solum loqui manifeste apparet. Certum est enim, cum militibus priuilegia darent Imperatores, eos de Clericis, de Aduocatis, de Scholaribus, & similibus, ne cogitasse quidem, adeo nulla de his vestigia, seu verba seu sensum priuilegiorum inspicias, inueni-
4 re licet. Iam † voluntatem legum conseruandam esse constat, *l. benignius, 18 ff. de legibus*. Et cum in ambiguis voluntas conditoris sit maxime spectanda, *l. in ambiguis, 96. ff. de reg. iur. l. verbum, 123. ff. de verbor. signific. l. alienationis 28. ibid.* vt pluribus *lib. 2.* de priuilegiis iuris ciuilis *cap. 3. num. 6. & sequentib.* ostendi: multo magis vbi voluntas & verba clara, aperta, certaque inueniuntur, id solicite fieri debet. In apertis enim coniecturæ locus nõ est, *l. continuus, 137. ff. §. 2. de verbor. obligat.* Cum item vbi verba obscuriora sunt, voluntas tamen & intentio perspicua sint accurate seruanda, vt *d. cap. 3.* abunde monstrauimus: quanto magis vbi in neutro obscuritas aut am-
5 biguitas inuenitur. Ita † priuilegia secundum conditionem perso-

næ &

næ & negotii, de quo agitur, interpretationem capere, in *dict.* c. 3. num. 16. & sequentibus ostendi. Iam vero omnis sensus, omnia circumstantia de quibus in priuilegiis agitur, ad arma solum ista externa, hastas, enses, &c. non ad thuribula, calamos, libros, respiciũt. Quare cum aperta in his verba, aperta sententia & voluntas sit cõditoris, hæc semper ob oculos habenda, & ne qua † interpretatio 6
plus, minus, aut diuersum introducat, cauendum, *l. si quando, 35. C. de inofficioso testam. l. quod constitutum est, 21. ff. de testam. mil. gloss. in l. 1. §. penul. in verbo, Eximi, ff. de postulando l. ab ea parte, 5. ff. de probat.* id quod fieri debere circa priuilegia in sæpius modo dict. cap. 3. circa fin. & cap. 6. eiusdem libri, num. 5. docui. Ac satis insuper strictam esse naturam & interpretationem priuilegiorum militarium, patet ex *leg. quod constitutum est, ff. de testam. milit. & simill.* Quare cum certa sit & verbis & sensu interpretatio priuilegiorum militarium, nec ab certa conditoris voluntate sit vllo modo recedendum: illud indubie sequitur, priuilegia de militibus loquentia, ad armatos tantum, nõ inermeis pertinere. Obstare quidem his & † nonnihil videtur *lex* 7
aduocati, 14. C. de aduocatis. Quæ clare atque efficaciter priuilegia & nomen militum iis, de quibus agitur, deferre videtur. Sed satis cuilibet illas inspicienti ac perpendenti apparet, non proprie hos milites esse, nec omnia eis militum priuilegia concedi, sed per similitudinem quandam eis nonnunquam titulum militum donari, & priuilegia quoque vnum atque alterum ab summo priuilegiorum conditore & interprete addi. Sicut & his qui in castris eadem cum militibus pericula subeunt, ob similitudinem periculorum, fortunæ, loci, in quo versantur, quædam circa testamenta priuilegia permittuntur: non ideo tamen vel nomen eis vel cetera 8
iura militum indulgentur. Stat igitur † sententia, ad solos armatos milites, proprie ac vere militaria iuris nostri priuilegia pertinere. Vtrum vero & quatenus eadem ad alios quandoq; extendi soleant debeantq; in sequentibus suo loco docebitur.

Aliquid postremo † dubitationis in hoc genere mouet glossa *in* 9
l. quod constitutum, 21. in verbo Militare, ff. de testam. mil. præfectos tribunosq; militum milites esse negans. Quod vt contra omnem rationem est, sic illa ipsa lege, si recte expenderis, refutari inuenies. Sane antecedens lex expresse tribunos militum milites appellat, cum ait: *Desinit militis loco haberi, postquam, &c.* Nec nomen solum, sed iura quoq; militum præfectis eorum competere dictæ leges &

plures aliæ docet. Commilitones † certe milites ipse appellat Im-
10 perator *in l.1.d.tit.* Quo loco Baldus Imperatorem ait esse militem, & militiam dignitatem, quæ debeat inesse tam Regibus quam Imperatoribus.

Nunc illud demonstratum opinor, ad nostros quoq; hodie milites priuilegia militum pertinere, & quinam hodie tam nomine quam iure militari debeant censeri, quod non sine magnis caussis in exordio huius disputationis faciendum duxi.

Capvt VIII.

Definitio priuilegiorum militarium ex caussis eorum colligitur & constituitur.

EPITOMA.

1 *Priuilegia ius proprium & singulare sunt contra ius commune introductum.*
2 *Quis auctor priuilegiorum militarium, descriptum.*
3 *Quis priuilegia militibus dare possit, quæritur.*
4 *Quis & qualis hisce priuilegijs fruatur, ostensum.*
5 *Priuilegia militum a proprio Principis motu proficiscuntur.*
6 *Priuilegio militum potiturus, miles esse debet, & conditionibus cuiuslibet priuilegij instructus.*
7 *Forma priuilegiorum militarium eadem est cum ceteris legibus iuris corpori insertis.*
8 *Finales priuilegiorum caussæ.*
9 *Simplicitas militum & imperitia.*
10 *Militibus ius ignorare permissum.*
11 *Arma silent inter leges, & quatenus.*
12 *Vtilitas & honestas publica militibus priuilegia conciliant.*
13 *Nec minus stipendiorum honor & militia.*
14 *Vt & militaris disciplina.*
15 *Princeps militibus suis sæpe inuitus ob necessitates bellicas multa largiri cogitur.*
16 *Fauor Principum erga commilitones.*
17 *Merita militum præmiis afficienda & prouocanda.*
18 *Aequitas.*
19 *Non omnes sunt omnium priuilegiorum caussæ.*
20 *Imperitia iuris simplicitasq; militum & expeditionis necessitas, an vltimæ & generales priuilegiorum militarium caussæ.*

21 *Magis publica vtilitas, imo adhuc magis vnica æquitas.*
22 *Iniquum est officium suum cuiquam esse damnosum.*
23 *Definitio priuilegiorum militarium.*

ATque hæc quæ diximus, possunt & definitionis ὀνοματώδης, & quæstionis τ͂ ὅτι ἐστι vicem habere. Nunc instituta via pergentes, definitionem οὐσιώδη & τὸ τί ἐστιν huius generis videamus: ita videlicet, vt quæ in libris de priuilegiis iuris ciuilis vniuerse de priuilegiis omnibus, eadem nunc in specie circa priuilegia militum consideremus.

Igitur † primo ius illa esse, probant *l. iure militari, 4. l. qui iure, 7. l. de militis, 2. ff. de testam. mil. & plures aliæ.* Ius autem proprium ac singulare, vt loquitur d. l. *de militis,* & quidem contra ius commune seu diuersum ab eo, *l. si miles 3. ibi, sed cur non in milite diuersum probet, lex facere, 10. l. sequent. l. si certarum, 17. §. si eod. l. tribunus, 20. in princip. ff. d. tit. l. de hereditate, 19. §. filiusfamilias, ff. de castrensi pecul. &c.* Quodnam vero & quale sit ius illud commune, a quo priuilegia hæc diuersa sunt, vno genere & oratione comprehendi non potest. Sed vt plura sunt ac diuersa militum priuilegia, ita aliud alij iuri communi oppositum inuenitur. Quod postea, cum singula ordine recensebimus, recte patebit. 1

De auctore † horum priuilegiorum maxime *l. 1. ff. de testa. mil.* docet: id tamen in vna tantum specie priuilegiorū, eorum videlicet, quæ circa testamenta conferuntur. Horum primum auctorem D. Iulium ait: Sed eam concessionē temporalem fuisse. Postea primū D. Titum dedisse: & post hunc Domitianū. Postea D. Neruam plenissimam indulgentiā in milites contulisse, eamq; & Traianum secutum de quo quidē C. Plin. Secūdus in *Epistolis li. 1. Epist. 111.* scire se ait, quātam soleat Traianus Imp. militum precib. patientiā humanitatēq; præstare. Sed reliquorum quoq; auctores & confirmatores Imperatores Romani, Seuer. Antonin. Alex. Gordian. Valer. Gallien. Dioclet. Maximin. Philip. Constant. Anastas. & alij inueniuntur. Omniū tamen collator atq; auctor vnus maxime videtur Iustinian. qui vt omnia iura tā singularia quam cōmunia collegit, & in vnum corpus redegit, ita his quoq; ex se solo omnem impertiuit auctoritatem, *fac. l. 1. §. sed neq; ex multitudine, C. de vetere iure enucl.* Hunc consequuntur studia subsequentium Augustorū, qui omnes vsq; ad nostram ætatem iura hæc ead. vel expressis leg b. vel tacito assensu 2

approbarunt, rataque esse & firma iusserunt. Auctorem igitur horum omnium habes Imperatorem Rom.

3 Quæri autem † potest, vtrum nemo alius Princeps aut Superior militibus priuilegia imponere possit? Cui quæstioni satis in lib. 1. de priuilegiis iuris ciuilis cap. 4. a me responsum est. Generalia enim priuilegia, quibus omnes milites fruantur vtātur, quæq; omnes per Imperium ligent, solus faciet Imperator. At specialia, in quibusdā tantum militibus, & certo in loco vim habentia priuilegia, inferiores quoq; condere possunt. Priuilegia itaque quæ militibus dederunt Impp. Romani, ad omneis qui sunt in orbe Romano pertingūnt: cetera non item. Veluti ex Franciæ militibus suis certa priuilegia prærogatiuasq; tribuit: vt multa leguntur in illo volumine Petr. Rebuffi, quod de constitutionibus legibusq; Regum Franciæ scripsit, parte 4. in prioribus rubricis. Sed hi in sui tantum Principis ditione iuribus illis fruuntur, non item apud exteros. Nobis igitur priuilegia militum vniuerse descripturis, vnus & solus auctor habetur Imperator Rom.

4 Nunc † quis & qualis esse debeat, qui hoc genere priuilegiorum frui cupit, quærendum. Hic primo illud cogitandū, priuilegia hæc
5 motu † proprio Imperatoris, eodemq; vero, non ficto, nec ad postulationem militibus data. Sunt enim in corpore iuris ciuilis inclusa: & ptoinde omnibus etiam prius quam in cogitationem eorū venerunt vltronee a Principe offeruntur: vt lib. 1. de priuilegiis iuris ciuilis, cap. 5. in princip. dictum. Quæ caussa est, quod neq; subre-
6 ptionis vitio obnoxia sunt. Deinceps, vt † sis miles requiritur, hoc est, vt omnia illa habeas, quæ in definitione militis supra posuimus. Horum enim aliquod si absit, indignum te priuilegio reddit. Nec militem te tantum esse oportet, sed iis quoq; conditionibus prædirum esse necesse est, quas ratio priuilegii cuiuslibet requirit: vt d. c. in princ. dixi. Ita non sufficit, vt sis in matricula, sed intra numerū quoq; statutum te esse oportet, si priuilegio frui velis, *l. eos qui, 3. C. de officio magistri milit.* Sunt sane priuilegia quædam, quæ absolute in quemuis dummodo miles, competunt, veluti x. xix. & alia: sed alia certas insuper in milite conditiones requirunt, vt xvi. & cetera. Quæ omnia quia certis & generalibus regulis includi nequeunt, hoc loco commemorare supersedebimus: monituri interim suo loco de vnoquoque.

7 Forma † exterior seu formula huius priuilegii eadem est cum cetero-

ceterorum priuilegiorum corpori iuris insertorum forma. Legibus enim hæc iuris illius omnia tradita ac descripta, nec aliter fere habemus.

Reliquæ † sunt finales priuilegiorũ caussæ: quarum plures & di- 8
uersæ, pro eorum diuersitate, inueniuntur. Primo enim † simplici- 9
tati militum se consulere velle Impp. dicunt *in l. 1. ff. de testam. milit. l. quanquam, 3. C. eod. l. 1. C. de iuris & facti ignor.* & imperitiæ nimiæ, *l. impuberi, 40. ff. de admin*ist*. & peric. tut.* ignorantiæq; iuris, *l. Lucius, 40. §. fi. ff. de testa. mil. d. l. 1. C. de iur. & fact. ignor.* Itaq; † militibus per consti- 10
tutiones Principales ius ignorare permissum est, *l. reg. pen. § si filiusfamilias, ff. d. t.* vt qui arma magis quam leges scire existimantur, *l. fin. in prin. C. de iure delib.* Silent enim † inter arma leges, quod elegãter 11
distinguit ac circumscribit Angel. Aret. *in proœmio Instit. n. 7.* His accedunt † aliæ caussæ non minoris momenti, vtilitas publica, *l. mili-* 12
tes, 15. C. de re militari, libr. 12. l. 7. & 9. C. de procuratorib. & honestas publica, *l. colonos, 19. C. de agricolis*, honor † stipendiorum, *l. 18. § 6 ff. de iu* 13
re fisci, & militia, *l. milites, 13 ff. de re militari, d. l. milites, 15. C. eod. & l. fin. C. quibus non obijcitur longi temporis præscript. l. fi. C. de restit. milit.* inprimisq; militaris † disciplinæ conseruatio, vt satis ex secũdo, quarto, 14
octauo, nono, vndecimo, quinto decimo, & aliis inf. priuilegiis apparebit: vt & administratio rei militaris. In quem finẽ tertium, tertium tricesimum, & similia priuilegia tendunt. Nec illa † etiam ne- 15
gligenda caussa ac ratio, quod, cũ secundum vulgatum illud sileant inter arma leges, bellorũ necessitatibus & fortuna coacti multa sæpe militibus suis etiam inuiti Imperatores ac Duces largiri aut indulgere compelluntur. Quomodo Seneca *libr. 4. de benefic. c. 37. Non potest*, inquit, *quisquã eodem tempore bonum virum & bonum ducem agere. Quomodo tot millia hominum insatiabilia satiabuntur? Quid habebunt, si suum quisq; habuerit?* His accedit † fauor Principum erga cõmilito- 16
nes, *l. 1 ff. de testam. mil. l. 19. C. de pactis*, & inprimis † merita illorũ, quæ 17
præmiis sunt afficienda aut prouocanda, *l. testamenta, 26. in fin. ff. de testa. mil l. milites, 13 ff. de re militari, l. numerarios, 4. ibi, sudorib. eorum beneficium deferentes, C. de apparit. mag. mil lib. 12. l. fortissimis, C. de militari veste, lib. eod. l. veteranis, 9. ibi remunerantes fidam deuotionem militum nostrorum, C. quando prouocare non est necesse.* In quam sentent. elegans est narratio apud Senecam lib. 5. de beneficiis, c. 24. quam hic inserere non abs re erit: *Caussam dicebat*, inquit, *apud D. Iulium ex veteranis quidam paulo violentior aduersus vicinos suos, & caussa premebatur. Me-*

FF

ministi, inquit, Imperator, in Hispania talum te torsisse circa Sucronem? cum Cæsar meminisse se dixisset. Meministi quidem sub quadã arbore minimum vmbræ spargente, cum velles residere feruentissimo sole, & esset asperrimus locus, in quo ex rupibus acutis vnica illa arbor eruperat, quendam ex commilitonibus penulam suam substrauisse. Cum dixisset Cæsar: Quid ni meminerim? & quidem siti confectus, quia impeditus ire ad fontem proximum non poteram, repere manibus volebam, nisi commilito, homo fortis ac strenuus, aquam mihi in galea sua attulisset: Potes, inquit, Imperator, agnoscere illum hominem, & illam galeam? Cæsar ait, se nõ posse galeam agnoscere, hominem pulcre posse: & adijcit, puto ob hoc iratus, quod se a cognitione media ad veterem fabulam abduceret, Tu vtiq, ille non es. Merito, inquit Cæsar, me non agnoscis. Nam cum hoc factum est, integer eram, postea ad Mundam in acie oculus mihi effossus est, & in capite eiecta ossa. Nec galeam illam si videres, agnosceres. Machæra enim Isponia diuisa est. Vetuit illi exhiberi negotium Cæsar: & agellos, in quibus vicinalis via, caussa rixæ ac litium fuerat, militi suo donauit. Sic ipse Cæsar li. 6. de bello Gallico: *Centuriones*, inquit, *quorum nonnulli ex inferioribus ordinibus reliquarum legionum caussa virtutis in superiores erant ordines huius legionis traducti, ne ante partam rei militaris laudem amitterent, fortissime pugnantes conciderunt, &c.* Plura vbiq;
18 obuia sunt. Quibus adde ipsam deniq; † æquitatem, *l. fin. §. si quis vero, C. de re militari, lib. 12.* Quæ & plures fortasse priuilegiorũ horum caussæ in iure nostro expressæ inueniuntur. Sed scire oportet, non
19 omneis † omnium, sed alias aliorum esse caussas. Cuiuslibet igitur priuilegii caussam tum indicabimus, cũ id seorsum peragemus. Hic iam, quæ summa atq; vniuersalis omnium priuilegiorum militariũ
20 caussa sit, inquiremus. Imperitiam † equidem iuris & simplicitatem caussam impulsiuam esse priuilegiorũ militarium, caussam vero finalem esse ipsam expeditionis necessitatem, ait A. Gailius *lib. 2. obs. 118. n. 7.* At enimuero seu impulsiuam seu finalem caussam iuris imperitiam dixeris, certum est tamen, non in omnib. militum priuilegiis hanc requiri aut considerari. Nam priuilegium sui iudicis, priuilegium vt non condemnentur nisi in quãtum facere possunt, priuilegium castrensis peculij, & plurima alia, vt postea videbimus, ob alias quam simplicitatem, caussas militibus dantur. Male igitur hæc pro vniuersali horũ caussa ponitur. Sic & expeditionis necessitas, aliquis & quidem omnium priuilegiorũ finis esse potest, summus nõ potest. Nam & expeditionis alius est finis, pax nimirum publica &
21 tranquillitas, vt supra ostendi. Rectius ac † verius priuilegiorũ horũ

omnium caussa publica vtilitas diceretur. Ad hanc enim & ipsa expeditionis necessitas, & aliæ omnes respiciunt caussæ. Veruntamen nec ista summa caussæ est, sed illa, quam tantum ac toties celebrauimus æquitas. Hanc vt summam, vltimã, ac præcipuam, priuilegiorum omnium caussam esse in libris de priuilegijs iuris ciuilis probaui: ita huius quoq; generis priuilegiorum finẽ maximum esse affirmo. Cur enim contra ius commune, quod legũ scientiam ab omnibus requirit, nec a iuris ignorantia quenquam absoluit, *l. regula. ff. de iuris & facti ignor.* simplicitati & imperitiæ militum venia datur? Quia æquum est, imperitiæ, & ignorantiæ eorũ veniam dari, qui ob perpetuas minimeq; cum rebus ciuilibus affines occupationes, ob absentiam item a patria, foro, & negotiis vrbanis, non æque ius scire possunt. Nec enim vtriusque facile disciplinæ capax est humanus animus, maximeq; inter se togæ & arma diffident. Quare item præmio sunt afficiendi milites? Quia nihil est æquius, quam bene meritis præmia dari. Quare præmiis ad fortitudinem excitandi? quia publice vtilis est opera eorum. Quid autem æquius, quam publicæ consulere vtilitati? Nam & hæc non aliter nec aliam ob caussam, quam quia & quatenus æquum pensanda. Quare militia priuilegia habet? Quia æquissimum est, vt qui ab signis abesse ac discedere disciplina publica prohibetur, ei aliquo beneficio succurratur, quo ius ipsi suum conseruetur. Iniquum † enim est, officium suum cuiquam esse damnosum, *l. sed si quis, 7. ff. testament. quomodo aperiantur l. inter eos, 33. § vlt. ff. ex quibus caussis maiores, l. nec liberalitas, 50. ff. de re iudicata, l. si seruus communis, § quod vero ff. de furtis, c. cum non deceat. de elect. lib. 6.* Summam igitur & vniuersalem priuilegiorum militariũ caussam finemque, æquitatem publicam & priuatam esse, manifestum est. Ex quo sponte sequitur, vt omnia priuilegia (de quo *libr. 1. de priuileg. iur. ciuil. cap. 12.*) ita militaria quoque summa ratione & æquitate niti. 22

Hæc sunt quæ de natura caussisq; huius generis priuilegiorum vniuerse dici possunt? Ex quibus haud † difficulter descriptionem aliquam breuem seu definitionem istorum colligere licet: PRIVILEGIVM nimirum MILITARE, IVS ESSE SINGVLARE SEV PROPRIVM, CIRCA PERSONAM, RES, ET ACTIONES MILITVM, CONTRA IVS COMMVNE AB IMPERATORIBVS ROMANIS, ÆQVITATIS CAVSSA, LEGITIME INTRODVCTVM. 23

Caput IX.

De differentiis & interpretatione priuilegiorum militarium nonnulla traduntur?

EPITOMA.

1 *Priuilegia militum personalia sunt.*
2 *Priuilegia militum alia prohibent, alia permittunt.*
3 *Priuileg. mil. in eorum damnum interpretari non debemus.*
4 *Miles prohibitus in prouincia in qua militat vxorem ducere, si in patria militat, ibi vxorem ducere non prohibetur.*
5 *Miles dari iudex potest etiam in caussa ciuili.*
6 *Priuilegia militum in alienam iniuriam non porrigenda.*
7 *Priuil. mil. stricte arcteq; accipienda, & n. 17.*
8 *Militibus appellandi tempora non remittuntur.*
9 *Miles minor annis viginti seruum manumittere nequit.*
10 *Quædam priuilegia milites habent tantum dum in expeditione sunt.*
11 *In codicillis, quos miles post militiam fecit, iuris ciuilis regula spectatur.*
12 *Militis testamentum quoquo modo factum valet, dum constat tamen fecisse eum id testamentum.*
13 *Non militum testamenta, sed a militibus facta testamenta, constitutionibus Principalibus cauentur.*
14 *Constitutio, vt testametum militiæ tempore factum etiam intra annum post missionem valeat, ad profectos, tribunos, & simileis, qui non mitti, sed successores accipere solent, non porrigitur.*
15 *Sub militum nomine nemo sibi propria compendia quærat.*
16 *Milites dignitatem habere negatur.*
18 *Errant, qui militum priuilegia ad scholares, Doctores, clericos, officiales, & similes, extendere nituntur, & n. 20.*
19 *An vbi eadem ratio, ibi ius idem, & n. 22. 24.*
21 *Militarium priuilegiorum certior ratio reddi non potest, quam voluntas Principis.*
23 *Doctorum opiniones.*
24 *Priuilegia non nostro iudicio, sed superiori potestati subiecta sunt.*
25 *Priuilegia amplius extendenda non sunt, quam voluntate cōditoris permitti probatur.*
26 *Mox in militiam iturus, militare testamentum facere potest.*
27 *Ex alio numero in alium numerum mox transferendus, miles est.*

28 Cin-

DEfinitione posita, sequitur diuisio. De hac etsi nihil in iure nostro expressum magnopere habeamus: vnam tamen atque alteram, secundum eam, quam *lib. 1. de priuileg. iur. ciuil.* posuimus rationem, peruestigare libet.

Ac inprimis quidem illud sciendum, personale hoc ius sit, an vero reale? Sed † omnino personalia esse priuilegia militum, non est 1 dubium. Personæ enim succurritur, quæ meruit præcipue fauorem, *l. ex pluribus, 42. ff. de administrat. & peric. tutor. fac. l. 1. C. de restitut. milit. l. 3. §. 1. ff. de munerib.* id quod postea de singulis priuilegiis in specie patebit. Pauca quędam, velut tertium, vicesimum quartum, tricesimum quartum, & similia, realia esse videntur: quoniam, licet ea in militum quoque commodum cedant, magis tamen rei disciplinæque bellicæ caussa introducta videntur. In his ego illud discriminis obseruandum puto, vt cum talia priuilegia partim militum, partim rei militaris caussa lata videamus, illorum respectu personalia, huius realia esse pronuntiemus. Eadem enim indulgentia, idem beneficium (vt in restitutione, & similibus cernitur) pluribus tribui sæpe solet: quo casu, non tam ex sua natura, quam illius, cui adhæret, æstimari debet. Igitur & militum priuilegia, quatenus in ipsorum gratiam lata sunt, inque commodum eorundem cedunt, personalia omnia merito iudicamus.

Illa † item priuilegiorum differentia frequens in hoc genere 2 est, quod alia prohibent, alia indulgent. Sunt enim quæ militibus permittant, quod paganis ius commune interdicit: sunt iterum quæ militibus interdicant, quod ceteris ius vniuersale permittit.

De interpretatione horum priuilegiorum, nihil fere peculiare præter illa, quæ *lib. 2. de priuil. iur. ciuil. cap. 2. & 3.* docuimus, dici po-

3 test. Illud præcipue † notandum, ita nos priuilegia hæc interpretari debere, ne militibus, in quorum fauorē sunt introducta, damnosa euadant: per iura *in d. cap. 3. num. 44. & sequentib.* allegata. Exempli
4 caussa, ius, quo † miles ex prouincia in qua militat vxorem ducere prohibetur, non est sic interpretandum, vt ne ex patria quidem sua, si in ea militet, vxorem ducere prohibeatur. Lex enim, quæ illud prohibet, de exteris tantum prouinciis loquitur, *l. eos qui, 65. ff. de*
5 *ritu nuptiar.* Ita quod † militibus accusare, caussas agere, aut procurare in iudiciis interdictum est, non ita accipiendum est, vt neque iudices esse possint, siquidem peritiam iurisq; scientiam habeant, *l. certi iuris, 17. C. de iudic.* Sane quidem gloss. *in verbo, Magistratus*, inter milites tantum, non inter alios his esse iudicādi facultatem ait, *argum. l. magisteriæ, 6. C. de iurisdict. omnium iudic.* Sed eam ego sententiam probare non possum. Primo, quia lex non distinguit. Ergo nec nos distinguere debemus. Nec dubie distinxisset, si de militibus tantum loqui voluisset. Deinde, quia procurare quidē & caussas agere in iudiciis ciuilibus milites prohibentur: iudices vero esse lex nulla vetat. Nam *d. l. magisteriæ, 6.* de potestate tantum ordinaria iudicis militaris loquitur. Nihil interim obstat, quin & miles dari iudex possit. Ad hæc, iam ante certum fuit, in caussa militari militem iudicare posse. Sed quia de ciuilibus iudiciis non immerito dubitabatur, vtrum his præesse miles possit, ideo de iudiciis docens Imperator, hos quoque iudicare posse determinauit. Et ne de militaribus tantum iudiciis loqui lex illa censeatur, illud facit inprimis, quod addit, *& omnes tales homines.* Vnde si de militaribus tantum iudiciis loquitur lex, sequitur & alios homines posse militum iudices esse. Quod quia falsum est, illique alii homines non possunt nisi in ciuilibus iudicare, legem istam absolute de cuiuscunque generis iudiciis loqui dicendum.

6 Verum vt † non in proprium, sic nec in aliorum præiudicium intelligi debent. Priuilegia enim militum in alienam iniuriam porrigi non oportet, *l. impuberi, 40. ff. de administrat. & peric tutor. l. in fraudem, 15. l. cum filiusfamilias, 28. ff. de testament. milit. l. captatorias, 11. C. eodem, l. 3. C. de restitut milit. l. cum is, 8. § 1. ff. qui & a quibus manumissi.* Itaque si miles iure militari testamento facto libertates dederit in fraudem creditorum, & non soluendo moriatur, impediuntur
7 libertates, *d. l. cum is, 8. § 1.* In † summa præ aliis militum priuilegia strictæ naturæ esse, patet *ex l. quod constitutum, 21. d. l. tribunus, 20. l. ante-*

l. antepenult. ff. de testam. milit. l. quicunque, 10. C. de re milit. lib. 12. Stri-cte igitur accipienda, hoc est, vt neque plus tribuant neque minus, quam legislatoris voluntas & propositum patiuntur, *facit egregie l. Titius, 25. ff. de testament. milit.* adeoque sententiæ eorum accurate insistatur, vt ne quidem a verbis clarioribus recedatur. Quod in omnibus, sed maxime in hoc genere faciundum est. Nam quia præ aliis & multa & satis exorbitantia ab iure communi priuilegia milites habent, restringenda illa atque arctanda sunt nonnihil, vt quam minimum fieri potest, iuri communi derogetur. Etenim inter arma quoque leges valere debent, vt recte dixit Titus Imperator.

Ea caussa est, † vt cum multa milites circa ius & iudicia pri- 8
uilegia habeant, nec solemnia adeo obseruare cogantur, *l. 1. C. de iuris & facti ignorant.* appellandi tamen eis tempora non remittantur: & victi, si non prouocauerint, & solemnia fecerint, postea non non audiuntur, *l. qui suspectum, 20. §. vlt. ff. de appellationib.* Ita cum plurima † & maxima habeant circa testamenta milites priuilegia, 9
& minores quoque exsistentes multis casibus pro maioribus reputentur, miles tamen minor annis viginti seruum manumittere nequit, *l. si Rustinus, 4. C. de testam. mil. l. nec militis, 3. C. de manumiss. testam.*
H nc † etiam iis solis, qui in expeditionibus occupati sunt, ea tan- 10
tum tempora, quæ in eadem expeditione percurrunt, tam in exceptionibus declinandis, quam in petendis in integrum restitutionibus opitulantur: illis temporibus, per quæ citra expeditionis necessitatem in aliis locis vel suis sedibus degunt, minime eos ad memorata priuilegia adiuuantibus, *l. fin. C. de restitut. milit. l. vlt. C. quibus non obiicitur longi temporis præscriptio, l. penult. C. de testament. milit.* Ita † si miles testamentum in militia fecerit, codicil- 11
los post militiam, & intra annum missionis moriatur: in codicillis iuris ciuilis regula spectatur, nihil adiuuante, quod testamento confirmati sunt, *l. si certarum, 17. §. vlt. ff. d. tit.* Sic † priuilegium, 12
quod militantibus datum est, vt quoquo modo facta ab his testamenta rata sint, sic intelligi debet, vt vtique prius constare debeat, testamentum factum esse. Itaque si miles dixit alicui (vt plerunque sermonibus fieri solet) *Ego te heredem facio,* aut, *Tibi bona mea relinquo:* non oportet hoc pro testamento obseruari. Nec vllorum magis interest, quam ipsorum, quibus id priuilegiũ datum est, eiusmodi exemplum nõ admitti. Alioquin non difficulter post mortẽ

alicuius militis testes exsisterent, qui adfirmarent, se audisse dicentem aliquem, relinquere se bona cui visum sit: & per hoc iudicia vera subuerterentur, *l. Diuus, 24. l. Lucius, 40. in princ. ff. de testament.*
13 *milit. §. plane, Instit. eod.* Ita † non militum, sed a militibus, facta testamenta, cōstitutionibus Principalibus caueri, ait *l. Titius, 25. ff. d.*
14 *tit.* Et † constitutio, vt testamētum militiæ tempore factum, etiam intra annum post missionem valeat, ad Præfectos Tribunosque militum & simileis pertinere, negatur *in d. l. quod constitutū est*, quoniam hi non mitti, sed successores accipere soleāt. Vides, quam ac-
15 curate ac stricte verbis legum conditor insistat. Quin † vniuerse, ne quid sub nomine militum, quod ad vtilitates eorum in commune non pertinet, a quibusdam propria sibi commoda inique vindicantibus committatur, prouideri iubet *l. illicitas, 6. §. ne quid, ff.*
16 *de officio præsidis.* His † adde, quod dignitatem habere milites, negat Bartol. *in l. ex eo tempore, 42. num. 3. ff. de testament. milit. argum. l. si quis, 7. C. qui militare poss. vel non, lib. 12. & l. vnic. C. de equestri dignitat. lib. eod.* de quo videas licet Iasonem *in l. penult. col. 1. C. de pact. Alexand. in l. diem functo, col. 8. ff. de off. adsess. Abb in l. milites, C. locati.* Complures
17 aliæ † leges atque exempla referri possunt, & deinceps in singulis priuilegiis apparebunt; in quibus omnibus militum priuilegia limitibus certis ac terminis, quos vltra progredi non liceat, coercentur. Quod nobis argumento admonitioniq; esse debet, ne immodico vel militum vel aliorum fauore aut inclinatione priuilegia hæc licentius interpretari aut extendere audeamus. Etenim cum ex præsentibus exemplis (quæ ideo maiore numero recensui) ipsos Principes, quorum tamen in manu sunt, priuilegia stricte & cum modo videamus interpretari, multo id nobis magis faciundum scire debemus.

18 Vehementer † igitur totoque cœlo errant omnes illi, qui militum priuilegia ad Clericos, ad Scholares atque Doctores, ad Officiales & similes extendere nituntur. Prius enim dixi, non leuia, sed valde ac supra modum excedentia militum priuilegia inueniri, & ea re stricte quoque intelligenda. Non itaque facile nec sine magna ratione etiam in militibus extendere illa debemus: nedum, vt ad diuersum omnino & amplissimum hominum genus violenter transferamus; idque sine omni lege ac iussu Principis, solius affectionis nostræ ac libidinis imperio. Alia est enim Principis in hoc genere voluntas & regula, vt apparet *ex l. si quando, in princ. C. de inofficios.*

ficioſ. teſtament. vbi Imperator *Si quando*, inquit, *talis conceſſio imperialis proceſſerit, per quam libera teſtamenti factio conceditur: nihil aliud videri Principem concedere, niſi vt habeat legitimam & conſuetam teſtamenti factionem. Neque enim credendum eſt, Romanorum Principem, qui iura tuetur, huiuſmodi verbo totam obſeruationem teſtamentorum multis vigiliis excogitatam atq; inuentam velle euerti.* Nam quis dubitat, quin ſi Clericis aut Scholaribus omnia vel aliqua militum priuilegia dare Imperatores voluiſſent, vel vno in loco aut lege id iuſſiſſent, aut certe attigiſſent: ſicut Aduocatis vnum atque alterum de his impertientes, lege id ſolemni verbiſq; grauiſſimis fecerunt? At dicis: vbi eadem † ratio, ibi ius idem eſſe debet. Aſſentior hoc tibi, nec inuitus: 19
ſed nego, tibi protinus ob rationis (quæ tibi eadem aut æqua videtur) ſimilitudinem legem facere aut priuilegium licere, niſi eius faciendi poteſtatem habeas & auctoritatem. Libro enim ſecundo de priuilegiis iuris ciuilis *cap. 4. num. 23. & ſeqq.* oſtendi, ne ob rationem quidem eandem licitum extendere legem, niſi ſuperioris habeas adſtipulantem auctoritatem. Sed † tamen, quæ ratio eſt, ob quam 20
militibus indulgens priuilegia Imperator de Clericis & Scholaribus quoque loquutus ac ſenſiſſe videatur? Milites alicubi appellantur. Quæro ergo, proprie an tranſlate? Proprie ſi dixeris abſurdus ſis vt ſupra attigi. Nec dicturum quenquam credam. Si tranſlate: certe ſi vel mediocriter Logicas deguſtaſti diſciplinas, imo ſi rationis aliquid aut iudicii habes, ex tranſlatione aut imagine non modo certo ac cum veritate, ſed vix probabiliter te argumentari poſſe in memoriam reuocabis. Sed alia cauſſa erit. Ignorantiam iuris aut ſimplicitatem in his quoque, vt in militibus eſſe dices. Primum tibi oppono *l. impuberi, 40. ff. de adminiſtr. & peric. tut. cum ſimil.* quæ nemini præter milites imperitiæ veniam dari affirmant. Deinde, ex Scholaribus legum Studioſi ac Doctores eximendi erunt. Quis enim iuris erit peritus, ſi hi imperitiam allegabunt? Ad hæc, ſi quicunque ſe ſimplicem & imperitum iuris profiteri volet, militum ſibi priuilegia poterit vendicare: maior ſane pars hominum iiſdem optimo iure potietur. At expreſſe leges, nemini, præter milites, & paucos alios quos nominat, veluti fœminas, & minores, ius ignorare permiſſum ſanciunt. Scholaribus ſane non video quare magis ius ignorare liceat, quam pleriſq; hominibus de plebe: quos ipſi, vt ſciētia, ita iudicio ac peritia rerum antecellere debent. Clericis autem vel temporalia poſſidere vetitum eſt, & proinde nec

priuilegia militũ magnopere requirunt: vel si possidere licet (certe possidere satis multa videmus) administratio tamen his & tractatio temporalium interdicta est. Opprobrium enim eis est, si peritos se velint ostendere disceptationum forẽsium, *l. consulta, 23. C. de testam.* quo casu iterum eis priuilegia hæc superuacua sunt. Quod si vero administrare eis & versari in tẽporalibus (vt facere ipsos pene plus æquo cernimus) licet: liceat quæso etiã ius nõ ignorare. Semper .n. penes quẽ cõmoda, penes illũ onera esse debẽt, *l. secundũ, 10. ff. de reg. iur.* si onus hoc appellare licet, q; adiumentũ potius cõmodius ad-
21 ministrandorũ temporaliũ esse solet. Cur aũt † militib. administrare ista, & tñ ius ignorare, permissum est? Quia sic Impp. voluerunt. Nec certior reddi ratio põt. Hoc. n. est, q; *in lib. de priuil. iur. ciu.* dixi, non cuiuis ꝑ suo iudicio priuilegia facere permissum. Simplicitatẽ multi suã allegare possunt: nõ tñ omnes ideo priuilegia acceperũt. Dicat aliquis, clericos & scholares æque aut magis de Rep. meritos, & vndiquaq; adeo militib. esse potiores: Eadẽ ergo priuilegia ipsos habere, æquum esse. Non repugno. Sed hoc si licet, omnes omnia sibi priuilegia rapere volent. Quisquis n. se bene de Rep. meritum, quisquis eximium præ ceteris æstimabit. Hic vero non quid merearis, sed quid ille, cuius est distribuere bene merentibus pmia, tibi tributum velit, quęritur. Nec iniquitatis eum ideo accusare potes. Habent & Clerici sua priuilegia militaribus non inferiora, habent Scholares atque Dd. Non inuideant interim militibus & sua quædam priuilegia: nec querantur, nihil se de illorũ priuilegiis accipere, quãdoquidem nec ipsi militibus suorũ partem faciunt. Etenim haud video, si Clericis militũ priuilegia & Scholaribus patent, cur non & horũ priuilegiis milites gaudere debeãt. Nam si hi militum priuilegia habent, quia eandem cum illis caussam habent, sequitur & militibus eadem ratione horũ priuilegia tribuenda. Obii-
22 cient † etiam illud, vt militibus ab signis, sic clericis a sacris, scholaribus a libris & lectionibus, abesse illicitum. Eadem ergo omnibus priuilegia tribuenda. At nõ minus agricola aratro & operi rustico, opifex tabernæ & opificio, minister quis aut famulus suo ministerio, affixi alligatiq; esse debent. Ergone & istos in priuilegiorũ suorum consortium partemq; milites admittent? At cõmunis hæc & consentiens Dd. opinio est. Primo nego omnes consentire. Dein-
23 de † nec gl. iuris, nec Doctori quantæcunq; auctoritatis credendũ, nisi sententiam suam lege aliqua probet aut ratione firma, docent Bal.

Bal.*in l.4.C.ex quib.cauſ.maio.& Archid.in c.nolite 11.q.3.Iaſ.in l.illũ,19. C.de collat.* Auctoritas enim Dd. probabilis eſt tantũ, nõ neceſſari. : vt cõmunẽ aiunt Curt.*conſ.160.n.4.& conſ.136.n.8.* & Eman. Soar.*in theſau.recep.ſent.in ver.auctoritas,& fac.l.1.* §.*noſtram,ibi,nullo ex interpretatione eorum vitio oriundo,C.de vet.iur.enucl.* Quemadmodum & Cardin.*in conſ.70* loquens de Io.And.nec ſuæ nec alterius opinioni credi vult, niſi quãtum ratio cogit. Erubeſcere enim debet ICtus, cũ ſine lege loquitur,*arg* §.*& conſideremus,auth.de triẽte & ſem.* Vnde opiniones quoq; eorũ ſemper ſecundum leges & text.quos allegãt accipiendæ,tantumq; eis credendũ,quantũ probant: vt probe Bar. *in l.nõſ.lũ,8.§.ſi verba,n.7.ff.de lib.leg.& in l.cũ quidã,12.ff.quib.vt in lig. Ab.in c.1.de decim.& in c.1.col.6.de poſtul.præl.* Ita† res eſt: infinita abſurda & incõmoda alia ſequẽtur ſi noſtro iudicio priuilegia ſubiicientur. Nã & illud maxime fiet, vt nihil certi vnq̃ definiat, cum q alius probat, alius reprobaturus ſit. Quot n.homines, tot ſentẽtiæ: & vbi tu eandem poſſe rationẽ aies, alius negabit. Nec ſine cauſſa. Duo n. cum faciunt idem, non eſt idem. Hanc maxime ob cauſſam Magiſtratus & Principes facti ſunt, vt incerta ac dubia legibus definirẽt: eoq; & potẽtia iidem armati ſunt, vt non noſtro, ſed illorũ iudicio, nos viuere debere ſciamus. Quo pertinet *l.deſertorẽ,3.* §.*in bello,ff.de re mil.* eum, q rem a Duce ꝓhibitã fecit, aut mãdata nõ ſeruauit, capite puniendũ cenſens, etiãſi res bene geſſerit. Stat† igitur manetq; ſentẽtia, Priuilegia militũ amplius extẽdẽda aut ꝓrogãda minime eſſe, q̃ legibus & rationib. firmis cõditoris quoq; eam mentẽ ac voluntatẽ fuiſſe conſtet. Interim, vt nõ amplius, ſic neq; minus interpretatio tribuere debet. Atq; ita quodlibet priuilegiũ accurate ac penitus eſt inſpiciendũ, & quantũ eo largiri cõditor velit, animaduertendũ, adeo vt quamuis verba anguſtiora obſcuriora, aut nõnihil etiã diuerſa videãtur, mens tñ & intentio legiſlatoris pleniſſime conſeruetur. In iis vero in quib. non perinde mens legis aperta eſt, nunq̃ recte extendi per interpretationẽ vim eius atq; effectũ dixerim, niſi ab ipſo legiſlatore factũ ꝓbemus. In quib. illud quoq; tenẽdũ, vt ſi ab eo q poteſtatẽ habuit, extẽdi aliq priuilegiũ videamus, nobis eatenus tñ quatenus ille deſtinauit, nõ vltra extẽdere licitũ putem⁹. Ita† mox in mil. itãturus, militare teſtamẽtũ facere põt, *l. pen ff.de teſt.mil.* & ſi qs militũ ex† alio numero in aliũ translatus ſit, licet illo nõ dũ ꝑuenerit, miles tñ eſt, & militari iure teſtari põt, *l.vn.* §*fin.ff.de bon.poſ.ex teſt. mil.fac.egregie l.q dicitur,34.§.1.ff.de teſtam.mil.*

24 25 26 27

28 quoniam † cingendus habetur pro cincto : & factum censetur, quod protinus futurum est, *d. l.penult. vbi Bart. ff. de testament. milit.*
29 Sic † vxoribus militum militaria competunt priuilegia, non per ea tantum, quæ dixi *in libr. 2.* de priuilegiis iuris ciuilis *cap. 4. numer. 76. & sequentib.* cum vxores radiis maritorum coruscare ostendi, sed expressis legibus, *toto tit. C. de vxoribus milit.* In quo tamen restitutionis solum ob absentiam priuilegium eis indulgetur. Itaq; si quis (vt solent nonnulli ex certis & singularibus casibus vniuersales regulas facere) ob has leges omnia vxoribus militum priuilegia tribuere velit: eum ego contra iuris leges ac voluntatem agere dico. Expresse enim illæ leges vnum tantum restitutionis beneficium largiuntur. In expressis autem non est coniecturæ locus. Itaq; & supra monuimus, vxores iis tantum maritorum priuilegiis frui, quæ in eas competunt: & leges illæ quædam tantum priuilegia, non omnia, nec id promiscue omnibus, sed certa certis fauore maritorum competere probant. Et hoc quoque in casu ex istis legibus restitutionis tantum beneficium vxoribus militum conuenit, fauore maritorum videlicet, vt gloss. *in d. l. 1. C. de vxorib. milit.* Alia si eis data affirmes, aliis tibi id legibus erit probandum. Nam & militari iure testari poterunt. Id vero non fauore maritorum, sed generali beneficio *l. vnic. ff. de bonor. poss. ff. ex testament. milit.* vbi omnibus, qui in hostico deprehenduntur hoc iure testari permittitur, vt dicam.
30 Nec † illud prætereundum, priuilegia ista vxoribus militum, non concubinis & scortis collata. Diserte quippe vxores & maritos lex nominat: quæ eadem concubinas & focarias militum odio prosequitur, *l. 2. C. de donat. inter virum & vxor.* In odiosis autem priuilegia stricte sunt intelligenda. Imo nec beneficium *l. vnica, ff. de bonorum possess. ex testament. milit.* has habere facile concesserim: quandoquidem illud ad eos tantum, qui necessitate ineuitabili aut officii ratione ducti in hostico deprehenduntur, pertinere censeo: nō vero ad illos, qui temeritate, leuitate aut turpi libidine impulsi (vt omnia istius generis prostibula) in eum se statum deduxerunt.
31 Non † enim fauēdum est ei, qui se in necessitatem aliquam sponte & sine iusta caussa deduxit, *l. si fideiussor, 7. § si necessaria ff. qui satisd. cogant. l. si mulier, 21. in princ. ff. quod metus causs.* quanto minus illi, quem turpis aliquo impulit caussa? Atque hæc de vxoribus militum. Sed
32 & † Medici eorum, quoniā officium, quod gerunt & publice prodest, & fraudem eis adferre non debet, restitutionis auxilium implorare

plorare poſſunt, *l. inter eos, 33. §. vlt. ff. ex quibus cauſſ. maior.* Et faciunt illa, quibus *in d. c. 4. libr. 2. de priu. iur. ciu. n. 100. & ſeqq.* oſtendi, conceſſum alicui perſonę priuilegium, ij; quoq; tributum intelligi, quibus ſine perſona illa eſſe non poteſt. Sed limitationes interim ibi memoratæ, hoc quoque in loco accurate ſunt obſeruandæ. Itaque non omnia his militum priuilegia, ſed illa tantum quæ legum propoſito conſentanea ſunt, attribuenda. Et *d. l. vnica* beneficium his maxime, ſi cuiquam alteri congruit.

Sic aduocatos † maxime comparat exæquatq; militibus *l. aduocati, 14. C. de aduocat. diuerſ. iud.* Quod ſi quis ideo omnia eis militum priuilegia tribui contendit, næ is & legibus & ipſorum officio contraria ſtatuit. Quid enim? ſimplicitatem aduocatis, & iuris ignorantiam, vt militibus, profiteri, & priuilegia inde orta ob hæc ſibi vendicare licebit? Ego ſane dictâ *l. aduocati* nihil aliud ſentire crediderim, quam aduocatorum officium non minus laborioſum, nec minus Reipub. vtile eſſe, quã militum: Nam & hos quodammodo Reipub. militare. Itaque non minus hos quam illos priuilegiis dignos. Hæc legis illius veriſſima ſententia eſt. Igitur nihil aliud, quã mereri priuilegia aduocatos affirmat. Quæ autem eis collata ſint, non ex illa proprie, ſed aliis legibus eſt inquirendum. Idem † de officialibus quoque & ſimilibus, de quibus *l. vnica, C. in quibus cauſſ. milit. fori præſcriptione vti non poſſ. & tot. tit. C. de priuileg. eorum, qui in ſacro Palat. militant, lib. 12.* ſtatuendum cenſeo: vt dictæ modo rationes & illæ ipſæ leges cuiuis euidenter oſtendunt? 33 34

Ita non † eſt dubium, quin debeant ratæ eſſe voluntates eorum, qui in hoſtili terra ſuprema iudicia ſua quoquo modo ordinaſſent, ibidemq; diem ſuum obiiſſent. Quanquam enim diſtet conditio militum ab his perſonis, quas conſtitutiones Principales ſepararent: tamen qui in procinctu verſantur, cum eadem pericula experiantur, iura quoq; ead. merito ſibi vendicant. Omnes igitur omnino, ſi eius ſunt conditionis, vt iure militari teſtari non poſſint, ſi in hoſtico deprehendantur, & illic decedant; quomodo volunt & quomodo poſſunt teſtabuntur, *dict. leg. vnica, C. de bonorum poſſeſſ. ex teſt. mil. l. fin. ff. de teſt. mil.* Quod ipſum ego tamen de his ſolis intelligo, quos neceſſitas aut officii ratio in eo loco conſtrinxit: non ſi quos temeritas aut ſimilis cauſſa impediuit. 35

Quomodo igitur priuilegia militum interpretari, & inprimis quatenus reſtringere illa vel extendere debeamus, ſatis dictum vi-

detur. Nam si quid hoc loco omissum, sufficienter in libr. 2. de priuilegiis iuris ciuilis demonstratum habes.

CAPVT X.

De effectibus, item de concursu priuilegiorum militarium.

EPITOMA.

1 *Effectus horum priuilegiorum infra libro secundo in singulis priuilegiis apparebunt.*
2 *In concursu horum priuilegiorum cum alijs vnde statuendum.*
3 *Miles armatus a maiore dignior est armato a minore.*
4 *Priuilegia militaria alijs inualidiora sunt paulo.*
5 *Priuilegium dotis, pupilli, minoris, militari antefertur.*
6 *Miles an praeferatur clerico vel monacho, vides.*
7 *In paribus miles Doctori praefertur: alias in actibus militaribus miles, in Doctoreis Doctor antehabetur.*
8 *Arma legibus anteferuntur.*
9 *Non si vnum priuilegium posthabetur, ideo omnia quae sunt eius generis posthabenda.*
10 *Filiifami. milites in pluribus iuris articulis similes sunt his, qui sui iuris sunt: interim tamen pietatis ratio eis in parenteis constare debet.*
11 *Dotis priuilegium antefertur militari: priuilegium tamen militum circa ignorantiam fortius est muliebri.*

EX his quoque, quae de effectu priuilegiorum in specie dici possunt, intelliguntur. Nam cetera *lib. 1. de priuilegiis iuris ciuil.* inquirēda. Nec † sane vniuersalem aliquem & vnum priuilegiorum militarium effectum ostēdere possumus: sed vt diuersa priuilegia sunt, ita effectus: qui quales singuli sint, deinceps manifestum fiet.

2 AD CONCVRSVM † horum priuilegiorum cum sui generis aut diuersis priuilegiis quod attinet, *ibid. lib. 2. c. 5.* traditas leges ac regulas in his quoq; omnino locum habere sciendum. Exemplum habes in *l. sed & milites, 8. in princ. ff. de excusation.* vbi priuilegia militum partim ob aequalitatē se mutuo tollere, & ad ius cōmune recidere; partim infirmius a fortiore superari, satis euidenter patet. Militem
3 armatum † a maiore, digniorem esse eo qui accepit militiam a minore, ait Abb. *in c. per tuas, de maior. & obed.* Est & exemplum *in l. si instituta, 27. § 2. ff. de inofficioso testament.* Quae licet primo aspectu regulam

gulam nostram euertere videatur, est tamen omnino consentiens, vt ex his quæ *d. lib. 2. dict. cap. 5. num. 19. & sequentib.* ostendi, apparet. Nec adeo quidquam in hac specie, quod cum generalibus ibi traditis pugnet, inuenio.

Vnum tamen non immerito quęretur, cum priuilegium potentius infirmiori prævalere censeam, quibusnam militaria priuilegia fortiora, quibus inferiora esse videantur? Hic illud primum in † genere tenendum, priuilegia quidem militũ pleraq; iure atq; vtilitate publica niti, & proinde firma quoq; nec leuiũ viriũ esse: interim tñ solito longius paulo ab iure communi recedere, solo fauore & ineuitabili quadam in milites indulgentia impellente: cuius generis priuilegia facilius quam cetera non immerito tolluntur, vt ex iis, quæ *libr. 3. de priuileg. iur. ciuil. cap. 6. in fine* diximus, clarum est. Quę res efficit, vt non semper istorum iura obtineant, inprimis si itidem cum illo ius commodumq; publicum concurrat. Sic † & dotis priuilegium militari antefertur *in l. dotalem, 16. vbi gl. & Bart. ff. de testam. milit.* & pupilli *in l. fin. C. eod.* minorisque, *l. 3. ff. de manumiss. testamen. l. final. C. de testam. mil. l. 4. §. item si minor, 18. ff. de fideicommiss. libert. leg. minor. Codic. eodem.* Et militi minori annis viginti non permittitur testamento seruum manumittere, *l. 3. ff. de manumiss. testament.* Cuius generis plura deinceps circa vnum quoduis priuilegium indicabo. Sic † vicissim miles præfertur monacho in honoribus, non tamen clerico, qui est miles cœlestis: vt vult Abbas *per cap. Nicolao, de appellat. in princ.* Item miles † Doctori: vt argumentatur Bald. *in tit. de Iustinian. Cod. confirm.* Quam quæstionem, vt refert Iohan. de Platea *Institut. de milit. testament. §. sed & si quis, num. 18.* disputauit Signo. de Mediolano, concludens, quod in his, quæ spectant ad exercitium militis debet miles præcedere: sed in his, quæ spectant exercitium Doctoris, debet Doctor præcedere. Quod probatur per *l. 1. C. de officio vicarii, & in c. cum ad verum, distinct. 87.* Vbi Imperat. præfertur Papæ in his, quæ sunt illi deputata in temporalibus, & Papa præfertur Imperatori in spiritualib. In actu vero communi & indifferenti, nõ magis appropriato vni quam alteri, licet hæc duo, leges & arma, habeant concomitantiã ad inuicem, vt scilicet vnum semper egeat auxilio alterius, tamen concludit legum Doctorẽ & professorem tanquam nobiliorẽ esse præferendũ, per rationes ibi allegatas. Leges. n. magis Reip. necessarias esse quã arma, &c. Contrarium sentit B. Chassan. in Catal. *gloria mundi, part. 9. consid. 1.* Vbi ita

4 5 6 7

definit, in actibus doctoreis (sic enim loquitur) Doctorem, in militaribus militem, in actu autem indifferente, militem semper præferri.
8 Nam † & in omnibus fere locis iuris ciuilis, vbi fit mentio de armis & legibus, semper præferri arma? vt in *l. 1. in princip. C. de Codic. Iust. comp. & in l. 1. C. de vetere iure enucle & in l. in tanta, eod. tit. in proœmio Instit. in princ. in l. his honoribus, ff. de vacatione munerum*. Ordinem autem literæ seu scripturæ seruandum, *l. qui soluendo, ff. de hered. instit.* Quod Cicero tamen non concesserit, cum dixit:

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Et reuera multa in hanc sententiam pro literis & ciuilibus artib. aduersus arma & milites disputari possunt. Sed nobis hoc loco magis pro militia standum. Interim quæ huius generis sunt, probabiliter magis & secundum rerum varietatem, quam certo & vniuerse dici posse tenendum. Ex his quoq; & similibus argumenta solum &
9 documenta sumere suaserim. Vt vero † protinus regula generalis condatur vniuerse priuilegia horum vel illorum præferri, nunquam admiserim. Nam & illud est diligenter obseruandum, non protinus si vnum aliquod priuilegium antefertur, reliqua etiam eius generis antehaberi: sed fieri posse, vt quædam præualeant, alia
10 posthabeantur. Sic in † pluribus iuris articulis filijfamilias milites non videntur absimiles iis, qui sui iuris sunt, *leg. final. Codic. ad Senatusconsult. Macedon.* Vnde & de Castrensi peculio tanquam sui iuris statuunt, vt infra patebit: & seruus a filiofamil. milite manumissus, militis, non patris libertus est, *l. si filiusfamilias, 22. ff. de bon. libert. l. 3. §. 7. ff. de suis & leg. hered. l. 8. ff. de iure patron.* adeoque in multis casibus priuilegia militaria iuri patrio derogare solent. Non vsque eo tamen hoc, vt non interim pietatis ratio militibus in parenteis constare debeat, *l. 1. in princip. ff. de obseq. parent. & patr. præstand. leg. penult. Codic. de restitut. mil. l. filiusfam. 35. ff. de ritu nupt.* Et ita in quibusdam casibus ius militare, in quibusdam paternum, præponde-
11 rare patet. Sic dotis † priuilegium militari anteferri supra dixi. Vicissim tamen circa ignorantiam fortius est militum priuilegium muliebri: cum, vt mox priuilegio primo videbimus, etiam in commodo milites iuris ignorãtia excuset, fœminas nequaquam. Quod in aliis quoque accidere credendum est. Et proinde non ex vno casu de omnibus statuendum: sed quoduis ex suis rationibus & fundamentis demonstrandum.

CAPVT

CAPVT XI.

De amiſſione horum Priuilegiorum.

EPITOMA.

1 *Quomodo hæc priuilegia ab conditore ſuo tolli poſſint, oſtenſum.*
2 *Cum cauſſa ſcilicet.*
3 *Priuilegia ad ſucceſſores vim porrigunt.*
4 *Priuilegia hæc vt perſonalia morte priuilegiarij cadunt.*
5 *Milites an his priuilegiis renuntiare poſſint.*
6 *Solemnitatibus & formulis iuris, legibus item prohibitiuis renũtiare nequit.*
7 *Iure communi vſus, an eo ipſo beneficio ſpeciali renuntiaſſe videatur.*
8 *An vnico actu his priuilegijs renuntietur, doceo.*
9 *Delictis quomodo hæc abrogentur, demonſtratur.*
10 *Vagabundi milites quomodo plectantur, oſtenditur.*
11 *Abuſus horum priuilegiorum nocet.*
12 *Miles mercaturæ magis quam militiæ incumbens, priuilegijs militum non gaudet.*
13 *Priuilegium quod terminum vel conditionem adiectam habet cum ijſdem finitur.*
14 *Priuilegium filijfamil. circa peculium, ceſſat cum quis deſinit eſſe filiusfamilias.*

SVpereſt, vt quibus modis quibuſq; de cauſſis priuilegia militum amittantur finemq; ſortiantur, videamus. Ac de † cõditore quidem, quatenus ille priuilegia minuere aut auferre ſoleat poſſitq; vniuerſe lib. 3. de priuilegiis iuris ciuilis dixi. Quæ omnia præſentib. applicari volo. Inprimis illud obſeruandum, priuilegia hæc omnia Corpori iuris inſerta, a ſuprema Imperatoris poteſtate pendere. Huius, vt cetera priuilegia, ita hæc quoq; abrogare aut mutare poteſtas eſt. Verum quod ibid. d. li. 3. † multis rationib. & legib. nõ immerito pugnauimus, vt priuilegia omnia cõditor ex cauſſa certa ac probabili aboleat, in his quoq; ſequendũ affirmo. Quod exemplo ſuo confirmat Iuſtinian. Imp. *in l. vlt. C. de teſt. mil.* Nam antiquitus pupillo militi tribunatum adepto teſtari permittebatur. Hoc priuilegium tollens in d. l. Imp. grauiſſimam ſui facti cauſſam allegat, quod indignum ſuis temporibus eſſe videatur, eum qui ſtabilem mentem nondum eſt adeptus, propter priuilegia militum ſapientium hominum iura pertractare, & in tam tenera ætate ex tali li-

centia parentibus forte suis vel aliis propinquis nocere, propriam
3 substantiam extraneis relinquendo. Sed & illud ex † eadem lege apparet, priuilegia Principum temporibus successorum vireis habere, & anteriorum priuilegia successorem vt sua propria ex caussa abrogare posse.

4 Morte † item priuilegiati seu naturali seu ciuili, militum priuilegia abolentur. Sunt n. personalia, itaq; cum persona exstinguuntur.

5 Renuntiatione † autem an militum priuilegia amittantur, quæri potest. Sed omnino *in d. lib. 3. c. 15. & 16.* vbi hoc vniuerse de priuilegiis quæritur, responsum puto. Nam & milites suis priuilegiis, quatenus sua, renuntiare possunt, *fac. l. 3. ff. de test. milit.* Quatenus sua, dico. Nam quædam sunt priuilegia, quę prohibent milites facere aliquid, & coniuncta cū præiudicio tertij, iuris pręsertim ac disciplinæ militaris, cuius gratia ōia hæc inuēta sunt & cōstituta. Hęc iure publ.
6 nituntur, itaq; eis renūtiari nequit. Solēnitatib. n. † & formulis iuris itē legib. prohibitiuis renūtiari non pōt, vt docet Bar. *in l. 6. n. 3. ff. de*
7 *transact. & fac. l. 7. ff. de postul.* An vero † q. iure cōmuni vsus est, eo ipso beneficio speciali renūtiasse habeat, hoc *inf. li. 2. priu. 1. n. 19. & priuil.*
8 *16. n. 116.* inuenies. Vt & illud, an † vnico actu cōtrario seu renuntiatione, *priuileg 8. n. 16.* satis determinatum est: vbi tamen (vt semper alias) illa quæ in libris *de priuileg. iur. ciuil.* præsertim *lib. 3. cap. 15. n. 14. & sequentib.* dicta sunt, ponderari obseruariq; diligenter velim.

9 Delictis vero hæc † priuilegia non minus quā alia aboleri & inutilia fieri, constat. Quo loco illa prima numerari possunt peccata, quæ militē de medio tollunt, h. e. nomē ipsi & iura militaria vniuerse auferunt, vt *l. militares, 16. C. de re militari lib. 12.* Sed illi casus magis ad prius genus pertinēt, quo morte militis ciuili vna & priuilegia illius intercidunt: vt paulo ante attigimus. Illa vero hic maxime sunt consideranda delicta, quę qui cōmittit miles permanet, & quādoq; omnia, quandoq; certa tantū ob illa priuilegia amittit. Sic. n. indignus militia, h. e. priuilegio militari, vt gl. exponit, iudicādus est, qui patrem & matrē, a quib. se educatū dixerit, maleficos appellauerit,
10 *l. 1. §. vlt. ff. de obseq. parent. & patr. præstan.* Ita vagabundi † milites priuilegia amittunt, vt censet gl. *in l. nemo miles, 13. C. de mil. lib. 12. Alex. in l. centurio. in 4. col. vers. secundo iuxta expositionem ff. de vulg. & pup. substit. Mat. Brunus de cess. bon. q. 11. quartæ princ. n. 5.* Quod de omnibus tamen priuilegiis indistincte verum haud esse opinor. Priuilegium enim circa rationem testandi militibus datum, vagabundus miles

non

non habet, vt *inf. lib. 2. priuil. 16. n. 15.* describitur Ita si qui milites per prouincias relictis propriis numeris passim vagentur, eos correctos præses custodiet, *d. l. nemo, §. vlt.* Verum quoniam etiam vagabundi tales, nisi ad desertionis vsq; scelus progrediātur, milites manent, *d. §. vlt. & l. 3. §. 2. & seqq. l. seq. §. vlt. & pen ff. de re militari, l. tribuni, 11. C. eod. l. 3. C. de protecto. & domest. lib. 12. l. 3. C. de commeatib. lib. eod.* militari quoq; disciplinæ subiecti sunt merito. Iam plurima priuilegia militibus disciplinæ huic conseruandæ caussa imposita, *supra c. 1.* ostensum est, & infra ex singulis apparebit. Quibus sane & vagabundos milites obnoxios deuinctosq; non est dubium.

Ita abusus † militaria priuilegia tollit. Sui. n. iudicis priuilegium 11
minuit, si quis eo animo militiæ se dedit, vt sub obtētu militiæ pretiosiorē se aduersario faceret, *l. qui cum vno, 4. §. non omnis, ff. de re milit.* Nec minus ista læduntur, cū miles contra professionis suæ leges officiumq; delinquit. Et ideo milites † mercaturæ magis quā militiæ 12
incumbenteis, priuilegiis militū non gaudere, secundum alios notant Ioan. Bapt. *Caccialupus de debitore susp. q. 5. n. 15. & Brunus de cess. bon. q. 11. quartæ princ. n. 7. & fac. l. vnica, C. negot. ne militent.*

Tertium genus amissionis priuilegiorū in ipsius priuilegii natura aut conditione cōsistere dixi. Quo pertinet † tēporis aut alterius 13
caussæ conditio, priuilegio ab initio adiecta, in eū finem, vt illa cessante, priuilegiū finem adquirat, *l. nemo, 14. C. de decurio. lib. 10. l. 1. in pr. ff. de testam. mil. l. quoties, C. de precib. Imp. offer. Abbas in c. cum accessissent, col. pen. de constit. Bald. in c. de caussis, de offic. deleg. Ang. Boss. in Tit. de Principe, n. 317.* Priuilegium enim ad tempus datum, exspirat ipso iure elapso tempore, *fac. l. epistola, 52. §. vlt. ff. de pactis, Bald. in d. c. de caussis, C. Tapia in l. vlt. ff. de constit. Princip. part. 2. c. 5.* Exemplum *infr. priuileg. 4.*

Quartum genus est, cum ab superueniente aliquo accidente seu casu priuilegium aboletur. Ita cum miles † filiusfamilias in castrēsi 14
peculio sui iuris & pro patrefam. habeatur, vt *infr. priu. 23.* ostendam: priuilegium tamen hoc personæ mutatione definit, *l. per curatorem, 90. in fine, ff. de adquir. vel omit. hered.* Quamdiu enim in sacris & potestate parentum filii milites consistunt, priuilegio locus est; Qui si sui iuris efficiantur, neque nomen peculii permanet, sed aliis rebus confunditur, &c. *l. fin. in fine, C. de inoffic. testam.* Quæ hactenus de priuilegiis militaribus dicta sufficiant.

FINIS LIBRI PRIMI.



GEORGII ACACII ENENKELII BARONIS HOHENECCII,

DE PRIVILEGIIS MILITVM ET MILITIÆ, Liber Secundus.

Singula nunc deinceps priuilegia militum descripturus, tantum de vnoquoque verborum faciam, quantum iuris nostri legibus probare atque euincere licebit: Ordinem in recensendis iis & enumerandis eũ seruabo, quem in Codice præscriptum habemus: sic videlicet, vt ea serie percenseantur deinceps, qua tituli sedesque singulorum collocati ac dispositi inueniuntur.

PRIVILEGIVM I.

Milites iuris ignorantia non læduntur.

EPITOMA.

1 *Iuris ignorantia neminem excusat, nec adquirere volenti prodest.*
2 *Militibus iura (etiam propria) ignorare permissum, vt horum ignorantia non lædantur, imo adquirere volentes adiuuentur.*
3 *Quæ de positiuo dico iure, non de naturali. Id enim nemo ignorare debet.*
4 *Nec item de disciplina & aliis quæ pertinent ad rem militarem.*
5 *Exempla huius priuilegij ex iure ciuili.*
6 *Auctor huius priuilegij Imper. Rom.*
7 *Soli armati milites hoc habent.*
8 *Minime aduocati. Turpe est enim ICto ius in quo versatur ignorare.*
9 *Nec magis clerici.*

10 Caus-

10 *Caussam huic priuilegio dedit simplicitas militum & imperitia nimia.*
11 *Milites arma magis quam leges & iura nosse solent.*
12 *Quod facto Annibalis illustratur.*
13 *Priuilegium hoc personale est.*
14 *Priuilegium hoc non extenditur ad praeiudicium tertii.*
15 *Miles de iure edoctus iure vti debet.*
16 *Miles in poenam quidem commmissi non incidit, portorium tamen soluere tenetur.*
17 *Priuilegium hoc morte priuilegiarii cessat.*
18 *Vt & renuntiatione seu tacita seu expressa, & num. 22.*
19 *Cur circa testamenta iure communi vtens, iuri speciali renuntiasse videatur, hic contra, explicatur.*
20 *Miles, qui legum iurisque peritus esse probatur, iuris ignorantiam allegare non potest.*
21 *Praesumitur tamen ius ignorasse.*
23 *Delicto, abusu, &c. hoc priuilegium amittitur.*

REGVLA est iuris communis, ignorantiam † iuris neminem excusare, *toto tit. C. & ff. de iuris & facti ignorant. l. liberorum, 11. §. fin ff. de his qui notantur infam. l. si fideiussor, 29. §. 1. ff. mandati, l. iuris, 6. C. qui admitti ad bonorum possess. possint,* nec adquirere volenti prodesse, *l. iuris ignorantiam, 7 ff. de iuris & facti ignorant. l. 3. l. antepenult. l. vlt. C. eod.* Ius siquidem & leges omnes scire atque intelligere tenentur, *l. leges, 9. C. de legibus, l. penult. C. de iuris & facti ignorantia.* 1

Contra huius regulae tenorem † militibus ius ignorare permissum est, ita vt eius ignorantia non laedantur, *l. 1. C. d. tit. l. regula, 9 §. 1. ff. eod. l. vlt. C. de iure deliberand. l. 1. in princ. l. Lucius, 40. §. vlt. ff. de testament. milit. l. 3. C. eod. l. impuberi, 40 ff. de administr. & peric. tut.* Imo etiam adquirere volentes excusentur, *d. l. regula, §. 1.* Nec ius tantum commune, sed speciale quoque & propria priuilegia ignorantes impune id ferunt, *d. l. & §.* Ceterum cum de iuris ignorantia loquor, † ius positiuum intelligo, non naturale, *facit. l. 2. C. de in ius vocand.* Iure enim naturali omneis ligati certum est: nec contra id quidquam statuere Principes possunt, vt *lib. 1. de priuil. iur. ciuil. cap. 8.* pluribus demonstraui. Perinde disciplinam † quoque militarem & similia ad militiam pertinentia hic comprehendi nolo: quae scire milites omnes tenentur, *l. desertorem, 3. §. in bello, l. omne delictum, 6.* 2 3 4

& toto tit. ff. & C. de re militari. Diſciplina quippe militaris antiquior fuit parentibus Romanis quam caritas liberorum, *l. poſtlimi-*
5 *nium, 19. § filius, 7. ff. de captiu.* Huius priuilegii † exemplum habes *in d. l. 1. C. de iuris & facti ignorant.* vbi Maximo militi, qui ignorantia iuris propter ſimplicitatem allegationes competenteis omiſerat, defenſionibus vti, ſi ex ſententia conueniatur, permittitur. Item *in d. l. regula, d. § 1.* vbi filiofamiliæ militi a commilitone heredi inſtituto non obeſt mora, ex ignorantia iuris ſui facta. Item ſi miles imperite fideiuſſorem non idoneum accepit, ſuccurrendum eſt ei, vt ex integro caueatur, *argum. l. de die, 8. § ſi ſeruus, ff. qui ſatiſdare cogantur.* Et inprimis exempla habebis infra, cum ſine vllo reſpectu iuris ſcientiave in teſtamẽtis militi pro libitu verſari licitum oſtendam.
6 Auctor † priuilegii præſentis eſt Imperator Romanorum vt ceterorum omnium. Itaque per conſtitutiones Principales militem ius ignorare poſſe, ait *d. l. regula, d. §.*
7 Quis † autem & quomodo comparatus hoc priuilegio frui poſſit, ex ſuperioribus ſatis eſſe clarum opinor. Multis enim argumentis oſtendi, priuilegia militibus iure ciuili indulta, ſolis armatę militiæ militibus proprie conuenire. Quod idem de præſenti ſentiendum, euincunt tum illæ rationes, tum vero etiã *d. l. 1. ibi, propter ſim-*
8 *plicitatem armatæ militiæ, C. de iuris & facti ign.* Ad † aduocatos certe hoc non pertinere, indubium eſt. Turpe eſt enim ICto ius, in quo verſatur, ignorare, *l. 2. § Seruius, 43. ff. de orig. iur.* quæ ratio non male nec immerito ad magiſtratus quoque & officiales Principis rei-
9 ciendos accommodatur. Clericos † refutant, tum eædem prius allegatæ rationes, tum vero etiam illud, quod ſatis arcte hoc priuilegium accipi ſolet: vt patet *ex tit. C. & ff. de iuris & facti ignorant.* eo inprimis, quod militibus quidem, non tamen fœminis (quorum tamẽ alias plena fauoris cauſſa eſt) in lucro iuris ignorantia prodeſt.
10 Cauſſam † huic priuilegio ferundo dedit ſimplicitas militum, *l. 1. C. de iu. & fact. ig. l. fin. in fi. C. de iure delib. l. 1. ff. de teſt. mil.* & imperitia nimia, *Inſt. d. tit. § 1. l. impuberi 40. ff. de adminiſt. & peric. tut.* Simplicitatis huius atq; imperitiæ cauſſa publica eſt; quia muneris & ſignis ſuis iugiter inhærere, armiſq; nõ priuatis negotiis occupari iubentur, vt Remp. a qua aluntur ab omni bellorum neceſſitate defen-
11 dere poſſint, *l. milites, 31. C. de locato,* qua de cauſſa arma † eos magis, quam leges & iura noſſe contingit, *d. l. fin. in princ. C. de iur. delib.* Vnde Cornel. Tacit. in vita Iulii Agricolæ: *Credunt,* ait, *plerique militaribus*

bus ingeniis subtilitatem deesse, qua castrensis iurisdictio secura & obtusior, ac plura manu agens, calliditatē fori nō exercet. Huius † est apud Tit. Liu. 12 *lib. 30. annal.* exemplum: vbi cum post fractas a Romanis omniquaq; Carthaginiensium opes, Gisgo ad dissuadendum nihilominus pacem processisset, audireturque a multitudine inquieta eadem & imbelli: indignatus Annibal, dici ea in tali tempore audirique, arreptum Gisgonem manu sua ex superiore loco detraxit. Quæ insueta liberæ ciuitati species, cum fremitū populi mouisset, perturbatus militaris vir vrbana libertate: *Nouem*, inquit, *annorū a vobis profectus, post sextum & tricesimum annū redii, militares arteis, quas me a puero fortuna nunc priuata nunc publica docuit, probe videor scire: vrbis ac fori iura, leges, mores, vos me oportet doceatis.* Satis hæc nimirum grauis atq; iusta caussa est, vt militibus ignorantia iuris a cuius scientia publico munere atque opere impediuntur, fraudi non sit: cum nemini officium suum debeat esse damnosum, *l. sed si quis, 7. ff. testamenta quom. aperiantur, l. inter eos, 33. §. vlt. ff. ex quib. causs. maior. l. nec liberalitas, 50 ff. de re iudic. l. si seruus communis, § quod vero, ff. de furt.* Æquitas ergo & hoc priuilegium introduxit.

Id quoque † in præsentia notandum, priuilegium hoc maxime 13 personale esse. Simplicitas enim & imperitia ista in solo animo & persona militum, nec alibi, hæret. Simplicitati quippe, & quidem militari tantum, vt supra ostendimus, succurritur non ignorantiæ. Itaq; nō quisquis ius ignorat, sed qui miles est, hoc beneficio subleuatur: & ita non caussæ, sed personæ succurritur, quæ meruit præcipue fauorem, *l. ex pluribus, 42. ff. de admin. str. & peric. tut.*

Et hoc † monere debui, vt omnia priuilegia, ita præsens in com- 14 modum quidem militum inductum, sic tamen ne per hoc alii lædantur: & militibus quidem ius ignorare permissum, illud tamen eos in actionib. & contractibus ciuilibus obseruare teneri; adeo, vt quod ignorantia iuris peccarunt, non noceat quidem, moniti † ta- 15 men de iure atq; edocti, idem sequi atq; obseruare cogantur: vt patet satis ex *d. l. 1. C. de iur. & facti ign. & fac. l. qui suspectum, 20. §. vlt. ff. de appell.* Inde qui vectigal non † soluit miles, in pœnam quidem com- 16 missi non incidit, portorium tamen nihilominus soluere tenetur: vt *infra priuileg. 10.* ostendam.

Quare † cum, vt dixi, personale sit hoc priuilegiū, morte priuile- 17 giarii tam naturali q̃ ciuili exspirare aio. Mors n. personalia omnia cum persona exstinguit. Mors ciuilis militum maxime in missione

consistit. Missione autem quisque & nomine & iure militis priuatur. Sed & alii casus sunt, quibus quis esse miles desinit, qui omnes sub hoc genus pertinent.

18 Facto † contrario hoc priuilegium amitti posse, argumento est *d.l.1.ibi.si nondum satisfecisti, C.de iuris & facti ignorant.* & non facto, *d. l.* Quod si tacite huic possum renunciare, multo magis expresse. Nam quæ tacite rite fiunt, recte & expresse, *facit l.3.ff.de rebus credit.*
19 *l.his solis,7.in fin.C.de reuocand.donat.* Obstare † his tamen videtur *l.3. ff.de militari testament.* quæ negat, eum, qui iure communi testari voluit, ideo militari beneficio renuntiasse videri. Sed nihil omnino ad præsentem casum lex ista facit. Nam & in testamentis hoc peculiare est, vt leges & iura communia etiam scientes negligere possint. In reliquis non idem eis indultum inuenitur: & supra dictum est, eatenus tantum militibus ius ignorare permissum, vt aduersus damna, quæ inde accidere possunt, restituantur, ita restitui & de iure edocti, eo deinceps vti cogātur. Quod si igitur miles, ignorantia iuris omissis allegationibus condemnatus, satisfecerit, aut defensionibus postea non vtatur, renuntiasse priuilegio suo omni-
20 no habetur, *argum.d.l.1.C.de iuris & facti ignorant.* Quod si † etiam miles talis sit, qui professionem faciat scientiæ iuris, vt si sit legum Doctor, aut alio actu vel ratione probari possit ius non ignorasse, omnino eum hoc priuilegio non iuuari aio. Nam, vt glossa ait, non prohibentur milites scire leges, imo si fieri posset vtriusque periti esse optantur, sed magis armis quam legibus eis incumbendi facultas est: & proinde si leges interdum ignorant, hoc beneficio iuuantur. Quod si vero legum iurisque periti esse probantur, nego eos iuris ignorantiam fraudulenter allegare posse. Errantibus enim, non fallentibus aut decipientibus iura subueniunt, *l.si is qui, C.si minor se maior.dixerit,* & allegatio contraria facto nihil ope-
21 ratur. Interim † præsumtionem simplicitatis & ignorantiæ in milite esse, donec probetur contrarium, minime nego. Nec ignorantia etiam iuris quisquam læditur, vsque dum de eo doceatur: vt
22 pluribus *lib.3.de priuil.iuris ciuil.c.16.in princ.* Et sane cur huic † beneficio renuntiare miles nequeat, non video. Est enim penitus suum: nec renuntiatio cū vllius præiudicio iuncta. Nec generi militari obest, si quis de numero illo pro iuris se ignorāte habere nolit: nec etiam Reip. pręiudicium agitur, quę hoc potius iubet, vt leges nemo ignoret. Priuilegio igitur isti tam expresse quam tacite renuntiari posse, dico.

Delicto † denique hoc priuilegium amitti dico, sed eo, quo nomen militis amittitur: item abusu, cum quis huius prætextu alios iniuria afficere velle probatur: de quo *in d. lib. 3. de priuileg. cap. 17. num. 39. & seqq.*

Hæc de primo militum priuilegio: reliqua ex vniuersali doctrina petenda.

PRIVILEGIVM II.

Milites alio nomine procuratores ne sunto.

EPITOMA.

1 *Milites alienis negotiis fungi, & etiam pro coniunctissimis procuratorio nomine experiri prohibentur.*

2 *Caussa huius priuilegii vtilitas publica & disciplinæ militaris obseruatio, aliorum grauamina, vniuerse æquitas.*

3 *Priuilegium hoc personale est.*

4 *Effectus huius priuilegii.*

5 *Priuilegium hoc ad solos armatos milites spectat.*

6 *Alii quoque hoc priuilegium habent, sed non quasi milites.*

7 *Accuratissime hoc priuilegium accipiendum ostenditur.*

8 *Miles suis negotiis superesse, & in rem suam dari procurator potest.*

9 *Sine fraude tamen.*

10 *Illustres & Nobiles personæ, si milites sint, nec in propria quidem caussa experiri possunt.*

11 *Priuilegium hoc vt publice vtile, multis aliis præpollet.*

12 *Pro necessariis personis de libertate litigare militi permittitur.*

13 *Quæ non prosunt singula multa iuuant.*

14 *In caussa vniuersi numeri militaris milites procuratores esse possunt.*

15 *Corporis alicuius priuilegio a tutela excusatus, a collegarum & liberorum eorum tutela non excusatur.*

16 *Numeri sui caussam agens suam caussam agere videtur.*

17 *Miles in liberorum caussa procurator esse potest.*

18 *An miles tollere hoc priuilegium possit, quæsitum.*

19 *Morte priuilegiarii priuilegium intercidit.*

20 *Huic priuilegio miles renuntiare non potest.*

21 *Aliorum iuri renuntiari nequit, ne suo quidem cum præiudicio alterius.*

22 *Ne tentare quidem huius renuntiationem licet.*

23 *Qui militem procuratorem elegerit, vt contemtor militaris disciplinæ punitur, nisi ignorauerit militem.*

24 *Quomodo miles de facto se procuratorem facere possit, ostenditur.*
25 *Non renuntiare dicitur, qui esse omnino desinit.*
26 *Quo delicto hoc priuilegium amittatur, docet.*
27 *Miles ignorans hoc priuilegium non punitur contra veniendo.*
28 *Priuilegium hoc validioris occursu perit.*
29 *Miles factus procurator, post litem contestatam & re non amplius integra, procurator esse perseuerat.*
30 *Multa fieri prohibentur, quæ facta tenent.*

SEcundum priuilegium circa procuratores versatur. Quamuis
enim procuratores alienorum negotiorū constitui omnes pos-
sint, *l. seruum, 33. § publice, ff. de procur.* (publice quippe vtile est, absen-
1 tes a quibuscunq; defendi, *d. l.*) milites † tamen minime alienis ne-
gotiis fungi, imo ne pro patre quidem; matre, vel vxore procurato-
rio nomine experiri, neq; defensionem alienam suscipere, vel redi-
mere negotia, vel quasi suffragatores accedere, permittuntur, *l. mi-
litem, 7. l. qui stipendia, 9. l. ita demū, 13. C. de proc. l. filiu fam. 8. §. veterani,
l. neq; fæmina, 54. ff. eod. l. si militem, C. de condict. ob causs. dat. l. milites, 31.
l. fin. C. de locat. l. si ignorans. 50. ff. eod. inst. t. de except. § vlt.*
2 Caussam † huius priuilegii esse vtilitatem publicam, ait *d. l. mili-
tes, 7.* Et pluribus verbis persequuntur, *d. l. militem, 7. & l. milites, 15. C.
de re mil. lib. 12.* ne omisso armorū vsu ad opus terrestre se conferāt, &
vicinis graues præsumtione cinguli militaris exsistant. Armis autē
& publicis vtilitatibus, non priuatis negotiis occupentur: vt nume-
ris suis & signis iugiter inhærentes, propriæq; muniis militiæ insu-
dantes, Remp. a qua aluntur & armantur, ab omni bellorū necessi-
tate defendant. Idem repetit *d. l. fin. C. de locat.* ne relictis studiis pu-
blicis signisq; victricibus ad cōductiones alienarū rerum prosiliāt,
& atrocitatem armorum non in hostes ostendant, sed contra vici-
nos, & forsan etiā aduersus ipsos miseros colonos, quos procuran-
dos susceperint, conuertant. Sic Traian. Imp. *in epist. 21.* ad Plin. Se-
cundum *lib. 10 sed & illud hæret nobis,* inquit, *quam paucissimos milites a
signis auocandos esse.* Et *in epist. 23. quantū fieri potest curandum, ne milites a
signis absint.* Disciplinæ conseruationem allegat *d. l. qui stipendia,* vt &
l. officium 12. §. 1. ff. de re milit. & d. l. milites, 15. C. eod. Ex quibus summā
quidem huius priuilegii caussam esse æquitatē, secundam vero vti-
litatem publicā intelligitur. Ad hanc enim duæ reliquæ referūtur,
militaris nimirū disciplinæ cura, quæ procurationibus istiusmodi
offenditur,

offenditur, & aliorum hominum grauamina, quæ ipsis præsumtione cinguli sui milites procuratores poterant inferre.

Priuilegium † hoc personale esse, nemo dubitare potest. Effe- 3
ctus illius is est, vt neque Respubl. † neque disciplina militaris, neq; 4
priuatus quisquam a militibus procuratorio nomine lædatur: adeoq; datum etiam procurationis ergo militi condici possit, *l. similitem, 5. C. de condict. ob causs. dat.*

Atq; ad solos † armatæ militiæ milites hoc priuilegiũ pertinere, 5
non tam supra enumerata argumenta, q̃ hę ipsę, quibus continetur leges, euincunt. Satis enim vnicuiq; intelligere licet, de his solis ibi, nõ de aliis, agi. Ad alios vero quomodo extendi possint vel debeãt, haud video. Non † quidẽ nego, & aliis hoc priuilegium latum, sed 6
suo iure & suis ex caussis hoc eis competere, non a militibus ad eos prorogatum, scire oportet. Et minores, & fœminæ, & clerici procuratores esse vetantur: proprias tamen quæq; istorum pars caussas ac rationes habet, ex natura & conditione generis cuiusque, nõ ex militari priuilegio, natas. Accuratissime igitur præsens † priui- 7
legium accipiendum, inde patet, quod etiam pro coniunctissimis personis procurare miles prohibetur; quod adeo seuere & sub maximarum pœnarum interminatione hoc omnibus interdicitur; quod ne ex rescripto quidẽ sacro hoc impetrari permittitur; quod vtilitas publica & militaris disciplina (vtrumq; solicite ac seuere custodiendum) in hoc versantur. Non tamen ita penitus accipiendum, † vt non interim suis negotiis superesse milites inoffensa di- 8
sciplina, & in rem suam dari procuratores possint, *d. l. qui stipendia, 9. d. l. filiusfamilias, 8. §. veterani, d. §. vlt. Instit. de except. gloss. in l. nemo miles, 13. in versic. vel sibi vacet, C. de re militari, lib. 12.* Neque dici potest, eum, qui honesta & verecunda præcedente caussa mandatas sibi actiones exercuerit, alieno negotio fungi: cum licet contentio ex alterius persona bona fide sumatur, hunc tamen rem suam gerere non ambigatur, *d. l. qui stipendia.* In † quibus verbis & illud non obi- 9
ter est notandum, vt hoc casu ex honesta & verecunda caussa, & bona fide procedatur. Nam si mala fide per collusionem & fictam in rem suam procurationem miles agere velit; certum est, hunc aduersus priuilegium suum peccasse, & pœnis meritis subiectum esse. Illustres etiam † & Nobiles personas, ne in propria quidem 10
caussa, etsi milites, fuerint, experiri posse, cautum est *in l. 25. C. de procuratorib.*

11 In concursu autem cum aliis priuilegiis, cum hoc † priuilegium publicæ vtilitati innitatur, sequitur id prævalidum, & tum ipsis Principum rescriptis, tum omnibus, quibus vtilitas publica prępôderat, priuilegiis fortius esse. Itaque cum multa parentibus, multa vxoribus debeamus: omnino tamen hoc officium priuilegio cedit, *d. l. militem, 7.* imo quod alias publice quoque vtile solet esse, hoc priuilegio tanquam vtiliore vincitur. Publice enim vtile est, absenteis a quibuscunque defendi, *d. l. seruum 3. §. publice*, at vtilius, a mili-
12 tibus neminem defendi, *dict. leg.* Solius tamen † libertatis inæstimabile pretium, cum necessitudinis vinculo iunctum, huic priuilegio nonnihil prævalet. Pro necessariis enim personis de libertate litigare militi permittitur, *l. amplius, 31. §. 1. ff. de liberali caussa.* Vides,
13 quæ † non prosunt singula, multa iuuare, *l. instrumenta, C. de probat. l. si plures, in fin. C. de pactis.* Nec necessitudo nec libertas separatim
14 eam vim habēt, vt procurator esse miles possit: iuncta habent. Alio quoq; casu hoc † priuilegiū cedit, cū caussa vniuersi numeri militaris agitur, *d. l. filiusf., 8. d. §.* Ratio huius ex regula, q̄ dixi *in lib. 2. de priuil. iur. ciu. c. 5. circa prin.* sumi pōt. Nam vel ideo quia vtrinq; interuenit priuilegium militis aduersus milite, ad ius cōmune rediguntur
15 (sicut qui † corporis alicuius aut collegii priuilegio a tutela excusantur, a collegarū & liberorum eorundem tutela non excusantur, *l. 41. §. vlt. ff. de excusat. l. penult. C. eod.* & Ilienses tutelæ habebant excusationem aduersus exteros, non aduersus alios Ilienses, *l. non tantum, 17. §. 1. ff. d. tit.*) & propterea miles, vt alius quiuis, potest esse procurator: vel quia fortior est & maior totius ordinis militaris fauor atque necessitas, singulorum ius vniuersali cedit. Nam & ratio, quæ procuratores fieri vetat milites, in hoc casu nonnihil cessare videtur. Sed verissima mea sententia caussa illa est, quod numeri
16 sui † caussam agens, suam caussam agere, & in rem suam procurator esse videtur. In vniuersali quippe singulorum quoque caussæ & & res continentur. Suas autem res agere militi minime interdi-
17 ctum iam prius monuimus. Qua † ratione militem quoque in liberorum caussa procuratorem esse posse, non dubitem: primo, quia liberorum caussa propria esse videtur: deinde, quia *d. l. militem, 7.* cum patrem, cum matrem, cum vxorem exciperet, liberorum tamen mentionem non fecit. Vnde liberos hac lege nō comprehensos coniicere licet, quos vtique præ illis lex nominasset, si pro his agere parentibus militibus interdictum voluisset.

Nunc

Nunc qua ratione cessare & finem capere hoc priuilegium soleat, videamus. Ac primo, cum ne † ex sacro quidem rescripto pro- 18
curatorio nomine experiri miles debere dicatur *in d. l. militem*, 7. ne Princeps quidem hoc priuilegium abolere posse videtur. Sed omnino hoc posse Principem, argumenta illa, quibus id in libris de priuileg. iuris ciuilis, de omnibus priuilegiis demonstrauimus, docent. Verba autem d. legis septimæ, illud primo volunt, sine caussa magna Principem id non facturum. Vtilitas enim publica caussam priuilegio dedit. Vnde sciendum, nunquam contra hoc aliquid permissurũ Principem, nisi maior vtilitas suadeat atq; cogat. Quod ita fieri debere ibidem lib. 3. ostensum. Deinde hac sanctione obreptio cauetur. Idem enim est, ac si petere aliquid contra hoc priuilegium Princeps vetaret. Contra talia autem impetrata, per obreptionem impetrata, & ea re inualida censeri, ex iis quæ *ibid. de priuil. iur. ciu. lib. 1. cap.* dixi, manifestum est. Quod si vero motu proprio Princeps, aut in specie non obstante præcedente interdicto, hoc facere velit, quin hoc facere iuste & cum effectu possit, nihil dubij est.

Morte autem † priuilegiarij hoc priuilegium intercidere, non 19
tantum naturali, sed etiam ciuili, docet *l. vlt. C. de locat.* & illæ, quæ missione militiam finiri aiunt. Militia autem finita, hoc quoq; priuilegium cessare certum est. Paganos enim omneis, præter paucos qui aliis obstaculis impediuntur, procuratores fieri posse certũ est.

Renuntia e † item huic iuri neminem posse affi mo: quoniam 20
id non tam militum, quam publici commodi, militaris disciplinæ, & aliorum, quos lædere possunt, caussa introductum est. Aliorum autem † iuri renuntiari nequit: ac ne proprio quidem, cum præiu- 21
dicio alterius: vt *lib. 3 de priuileg. iuris ciuil. capit. 16.* ostendi. Omnino adeo ne impetrare † quidem priuilegii huius renuntiationem li- 22
cet, *d. l. militem*, 7. tanto magis tentare vel expressam vel tacitam huius renuntiationem seuerissime interdictum est, *d. l. milites 31. & d. l. fin. C. de locato. d. l. si militem, 5. C. de condict. ob causs. dat. l. nemo miles, 13. l. milites, 15. l. seq. C. de re militari, lib. 12.* Itaq; ob id potius, quia sic legibus cautum est, renuntiari priuilegio nequit, quam ob prǫiudicium (quod hic non parui tamen momenti) tertii: cum etiam cessante eo, nihilo magis miles renuntiare possit, *d. l. filiusfamilias, d. §. ibi, nec si velit aduersarius*, adeo vt † ille qui militem procuratorem elegerit, 23
vt contemtor disciplinæ militaris puniatur, ac iure suo, si quod in re

habet, ſpolietur, *d.l.fin.C.de locat.d.l.nemo miles,13.* Hoc tamen, ſi ſciat militem eſſe. Nam ſi ignoret, fraudi hoc ei eſſe non debet, *dict. l.ſi ignorans, 50.ff. locati, dict. l. ſi militem, 5. & ibi gloſſa.* Non enim con-
24 temnit diſciplinam, qui ignorat militem, *d.l.ſi ignorans.* Non † nego tamen, facto ſuo militem ſe procuratorem facere poſſe, *d.l.fin.C.de procur.d.l.militares,16.C.de re militari,* quæ leges, militem alienas res præſumentem, militiam ſuamque opinionem amittere, ex milite paganum, ex decorato infamem, conſtitui aiunt. Iam paganũ procuratorem eſſe poſſe, dubium non eſt: nec infamia impedire ſolet, § *vlt. Inſtitut.de exception.* (quod negare videtur *cap. infamis,3.q.7.* ſed conciliat gloſſa ibid.) Verum nõ hoc eſt renuntiare priuilegio ſuo.
25 Non enim † ille, renuntiare dicitur, qui eſſe omnino deſinit: ſed ille, qui miles permanet, & priuilegio ſe tamẽ abdicat. Quod in hoc caſu fieri nequit. Itaq; ad primum hoc caput, quo morte ciuili priuilegiarij priuilegium ceſſare dixi, referendum.
26 Delicto igitur † & hoc priuilegium finiri manifeſtũ eſt, eo videlicet, quo quis militia cadens fit paganus, *d.l.vlt.d.l. militari,16.ibi, &*
27 *militia ſtatim, & priuilegiis omnibus, &c.* vbi hoc monendum † duxi, eũ militem, qui ignorans prohibitum procuratorem ſe fieri patitur, *d.l final.* pœnam minime meruiſſe. Pœna enim illa contemtoribus ſolum lata eſt, vt ſatis oſtendunt verba: *Neq; interminationis ſacratiſſimæ conſtitutionis milites memores,* nec minus *d.l ſi ignorans*, atq; inprimis prius enarratum priuilegium, quo iuris ignorantia, etiam proprij ac ſpecialis, milites non lædi affirmatur.

Supereſt vnus huius priuilegii amittendi modus, quem *libr.3.de priuil. iuris ciu.* quartum cõſtituimus, quo priuilegia ab extrinſecus adueniente cauſſa perimi aut certe ſuſpendi nonnunquã ſolent. Id
28 hic quoq; † euenire ex iis patet, quib. ſupra id in concurſu cum aliis
29 cedere quandoq; & ſuſpẽdi in illo caſu docuimus. Sed † & alius eſt caſus, de quo *in d.l. filiusfamilias, §. veterani, ibi, niſi hoc tempore litis conteſtatæ quocunq; caſu hoc prætermiſſum eſt, & in d.l. ita demũ,13. C.de proc.* Namq; ſi quis miles procurator conſtitutus agere incipiat, nec ante litis conteſtationẽ exceptio ei militiæ opponatur: ceſſat in illo caſu priuilegiũ, ita vt litem illam & appellationem quoq; re ita ferẽte perſequi poſſit. Ante quidem litẽ cõteſtatam ab aduerſario illi militiam obiici poſſe, ex hactenus dictis plus quã manifeſtum eſt: poſſe vero & iudicem militem procuratorẽ repellere, tum *l. illicitas, 6. §. veritas, ff.de offi. præſid. l.vlt. in fin.C.de appellat. l.2. in fin.C.de tẽpor.& reparat.*

reparat appell. tũ vero natura huius priuilegii, cui⁹ vindex atq; obseruator iudex esse debet, ostendũt. Sed & miles, id sibi nõ licere sciẽs, & procuratorem se fieri cõmittens, vt contra offic. peccãs punitur. Interuenire tamen casus potest, vt tam aduersarius quã Iudex, quin & ille qui procuratorẽ fecit, militẽ hunc esse ignorent, aut alias exceptionem opponere prætermittant, exemplo casus similis *in l. 1. §. 1 ff. de feriis.* Fieri etiam potest, vt miles hoc sibi interdictum nesciat. Hoc igitur aut quocunq; casu alio prætermissa exceptione, si lite iã contestata res integra amplius non sit, procuratoriũ munus miles, cessante in illo casu priuilegio, persequi debet. Rationem ponit *d. l. ita demum*, quia post litẽ contestatam res integra non est, *fac. l. nõ solet deterior, 86. & l. seq. ff de reg. iur. l. 2 & ibi Bald. & Salyc. C. de præscript. longi temp.* Et tales exceptiones post litem contestatam merito cõquiescunt, ne dum de iis altercatur, ipsius negotii disceptatio proteletur, *§. fin. Instit. de exception. l. properandum est 13. C. de iudic. l. quisquis, C. de postulando, l. sancimus, 28. C. de administr. tut. l. fin. in fin. C. de tureiur. propter cal. dando.* Et multa fieri † prohibentur, quæ facta tenent, *l. patre furioso, 8. ff. de his, qui sui vel alieni iuris sunt, c. ad Apostolicam, de reg. c. neq; furiosus, 33. q. 2.* 30

PRIVILEGIVM III.

Res militares feriatis quoque diebus peragi & administrari possunt.

EPITOMA.

1 *Auctor huius priuilegij Traianus Imperator.*
2 *Feriatis diebus ius dici non debet.*
3 *Quæ ad militarem disciplinam pertinent, feriatis peragenda diebus.*
4 *Custodiæ.*
5 *Quæ feriæ hic intelliguntur, explicatum.*
6 *Hoc priuilegium inuenit necessitas, quæ lege caret, & quod alias illicitum est, licitum facit.*
7 *Macchabæi Sabbatis feliciter pugnarunt.*
8 *Non offenditur Deus, si hominum salus die festo quæratur.*
9 *Non quæuis lites aut negotia militum, sed illa tantum, quæ ad militarem disciplinam remq; administrandam pertinent hoc priuilegio permittuntur.*

10 *Caussa huius priuilegii, vt res militaris recte & oportune geratur.*
11 *Occasionis in bello momenta pensantur.*
12 *Feriæ, an iure diuino introductæ, & an hominum arbitrio subiectæ, quæritur.*
13 *An Imperator circa ferias leges & iura dare possit, agitatur.*
14 *Priuilegium hoc etiam Canones probant.*
15 *An Scholares & Doctores hoc priuilegium habeant quæritur.*
16 *Effectus huius priuilegii.*
17 *Abusus eiusdem quomodo cauendus.*
17 *Priuilegium hoc reale est, eiq; milites & singulares personæ renuntiare non possunt.*

PRoximus sequitur in Codice Titulus de Feriis, circa quas priui-
1 legium militare inuenitur, cuius † auctor Imperat. Traianus *l. D. Traianus ff. de feriis*, quem conditorē militaris disciplinæ firmatoremq; appellat C. Plinius Secund. in Epistolis *lib. 10. Epist. 30.* Iure e-
2 nim communi † cautum est, ne feriatis diebus iudicium fiat, nisi de voluntate partium. Quod si aduersus ea iudicatum erit, neminem iudicatum facere aut soluere teneri, nec eum, ad quem de ea re in ius aditum erit, iudicatum facere cogere debere, *l. 6. & tot. tit. Dig. & Cod. de feriis*. Neq; partibus igitur *d. l. 6.* neq; iudice, *l. 1. l. pridie, 5 ff. d. tit.* inuitis feriatis diebus ius dici potest. Imo ne consentientib. quidem partibus processum aut sententiam tenere, diebus in Dei honorem & reuerentiam feriatis habitam aut promulgatam, censet *c.*
3 *conquestus, de feriis*. Quod cum ita sit, ea tamen † quæ ad militarem pertinent disciplinam, feriatis diebus peragere iubet *d. l. Diuus Tra-*
4 *ianus*, quo custodiarum quoq; cognitionem (custodias † pro sontibus qui custodiuntur sumi, non ignotum est) comprehendi d. lex ait: quæ & ipsa feriatis diebus institui potest & debet, *dict. l. & l. custodias, ff. de publ. iudic.*

5 De † feriis, quæ tempora & quorum generum sint, partim in titulis Pandectarum & Codicis, partim apud harum rerum scriptores videas licet. Ceterum ferias Azo *in d. l. custodias.* intelligit tantū vindemiarum & messium. At glossa *ibid.* etiam festos dies priuilegio contineri ait, argumento *l. prouinciarum, C. de feriis, & l. cuius, §. pen ff. de quæst.* Nec ego id negauerim, ductus tum earundem argumentis legum, tum verbis generalib. *d. l. Diu. Traianus*, quæ indistincte diebus feriatis negotia militaria peragere iubent. Ergo vbi lex non

non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, *l. de pretio, 8. ff. de Publ. l. præſes 3. ff. de offi. præſid.* Inprimis cũ in contrariũ nulla ratio moueat. Nam quod ſanctitatem ac reuerentiã feſtorum dierũ obiicias, nihil eſt. Quippe magna cum veneratione ac ſanctimonia dies iſtos colendos atq; habendos, nemo eſt, qui neſciat. Interim † ineuitabilẽ 6
neceſſitatem & ſimileis caſus exceptionem ijs dieb. inferre, & quidem ſine crimine ac peccato, certum eſt. Neceſſitas enim lege caret, & quod alias illicitum eſt, licitum facit, *c. quod non eſt licitum, & ibi gloſſ. de reg. iur. l. de pupillo, 5. §. ſi quis riuos, & ibi Iaſon. ff. de operis noui nunt. gloſſ. in leg. 2. §. itidem agitatum, ff. ad leg. Rhod. & in l. vnica in verbo Expedire, ff. de officio Cos. & in l. item, 10. ff. de communi diuid. & in l. qui potuerunt. ff. de manumiſſ. teſtam. leg. cum fideicommiſſa, ff. de fideicommiſſ. liber.* Ob neceſſitatẽ enim contra regulas iuris communis ſtatuitur, quatenus neceſſitas imminet, vt ait Bart. *in l. 1. §. nuntiat. ff. de oper. noui nuntiation.* Bellorum vero & rerum bellicarum magnas eſſe neceſſitates nemo ignorat. Exemplo ſunt † Macchabæi, qui die Sab- 7
bati feliciter & ſine offenſione numinis in hoſtem pugnarunt. Et plurimum † huc facit *l. prouinciarum, 10. C. de feriis*, quæ in quæſtioni- 8
bus latronum nullum quadrageſimæ tempus, nec venerabilem Paſchæ diem excipere iubet; addita ratione: *Cum facillime & in hoc ſummi numinis ſperetur venia, per quod multorum ſalus & incolumitas procuratur.* Quæ ratio cum maxime in militari diſciplina valet. Ferias igitur omneis ſine diſcrimine accipiendas cenſeo: hoc præſertim tempore, quo Chriſtiana libertas ſublatis Iudæorum vinculis floret. Nam ne † quis erret, non quaſcunq; militareis cauſſas aut cõ 9
tentiones, nec ſi cum milite lis quæcunq; ineatur, diebus hoc vtiq; feriatis agi poſſe crediderim: ſed ea ſolum, quę ad diſciplinam militarem pertinent his diebus peragere d. lex iubet. Et verba de iure communi loquentia, *Feriis a forenſibus tantum negotiis dari vacationẽ*, ſatis oſtendunt, ſequentia non tam de priuatis militum negotiis ac litibus, quam de ſumma rei ac diſciplinæ militaris eiuſdemque adminiſtratione ac cura loqui. Conſentitque his *l. vltim. in fin. Cod. de feriis*, quæ priuata negotia etiam militibus per hos dies interdicere videtur.

Cauſſam huius priuilegij, qua motus id cõdidit Imperator, nullam legibus noſtris expreſſam inuenio. Poteſt tamen † non incom- 10
mode ſumi ex d. l. *prouinciarum*, quæ facillime in hoc ſummi numinis ſperandam veniam, per quod multorum ſalus & incolumitas

procuratur, ait. Caussa igitur huius priuilegij peculiaris, ac propria illa est, vt res militaris, quam vniuerso generi humano, non in politia tantum & externa pace, sed in Ecclesia quoq; & religionis cultu defendendo atq; conseruando, maximopere vtilem & necessariam esse quotidiana exempla docent, tanto commodius expeditiusq;
11 curari & administrari possit. Nam vt eleganter † apud Thucyd. Pericles ait, τοῦ πολέμου οἱ καιροὶ οὐ μενετοί· & Corinthii, ἥκιστα ὁ πόλεμος ἐπὶ ῥητοῖς χωρεῖ, αὐτὸς δὲ ἀφ' αὑτοῦ τὰ πολλὰ τεχνᾶται πρὸς τὸ παρατυγχάνον. Vnde Fabius Maximus apud T. Liuium *lib. 24.* Annibalem eo maxime Romanis Imperatoribus superiorem ait esse, quod nullis neque temporis neq; iuris sit inclusus angustiis, quo minus omnia ita gerat administretque, vt tempora postularint belli: idemque Æmilio Paulo Cos. præcipit: *Neque occasioni tuæ desis, neque suam occasionem hosti des.* Et sane omnium historiarum exempla, ratioque & natura belli demonstrant, cum in omnibus rebus, tum inprimis in bellicis, maximum plerunque in occasionibus temporibusq; captandis atq; obseruandis momentum esse. Vnde & Plato τῇ τύχῃ καὶ τῷ καιρῷ DEVM res humanas administrare scribit. Et L. Martius apud eundem Liuium *libr. 25. Si in occasionis momento, cuius præteruolat oportunitas, cunctatus paulum fueris, nequicquam mox amissam queraris.* Quare cum tanta sit rei militaris vtilitas atq; necessitas; hæc vero administrari minime possit, nisi omnibus temporum vinculis legibusque soluatur: æquissime ac prudentissime rem militarem feriatis quoq; dieb. administrandam, præsenti priuilegio cauetur.

12 Non mediocriter † nihilominus illud obstare videtur, quod feriæ iure diuino introductæ, & proinde hominum arbitrio ac iudicio minime subiectæ, esse videantur. Sed extra controuersiam est, accuratas illas Iudæorum circa Sabbatum & similes dies festos leges iampridem sublatas; & curam quidem ac celebrationem rei cultusque diuini nobis ab ipso Deo iniunctam, nec ab eo vllis priuilegiis quemquam eximi posse, dierum vero, quibus id fieri debeat, definitiones atque momenta, non Dei ipsius legibus præfinita, sed hominum voluntate atque auctoritate constituta esse, *fac. c. quoniam, de feriis, capit. licet ibidem, & in capit. vtinam, distinction. 76.* Ius igitur ab homine introductum, ab homine quoque recte corri-
13 gitur ac declaratur. Hoc autem † omne pauci negabunt. Illi vero potius reclamabunt, quod Imperatorem huius priuilegii auctorem facio, non autem Pontificem Romanum. Ferias enim iuris

Ecclesia-

Ecclesiastici esse: nec Imperatorem in Ecclesiastica ius habere. Verum enimuero, Imperatorem ego Romanum circa hæc quoque ius aliquod & potestatem habere, suo loco, Deo bene iuuante, ostendam. Ea quisquis syncere ac sine præiudicio expendet, is hoc quoque priuilegium Imperatori condere omni iure licuisse affirmabit. Præsertim cum id non tam hominum ingenio inuentum cogitatumque, quam rerum humanarum ineuitabili necessitate ita ferente atque cogente receptum, ex præcedentibus appareat. Bartolus *in lege penultima*, §. *1. versicul. item si, numer. 8. ff. si quis in ius vocatus non ierit. Feriæ*, inquit, *non sunt de iure diuino, sed de iure ciuili potius. Vnde Papa & Princeps possunt derogare, &c.* Omitto, quod † neque Canones dissentiunt: qui pacis, 14
(quæ est opus pietatis, *capit. omne quod, 22. quæstion. 1.* Pacis autem conseruandæ aut recuperandæ caussa res militaris inuenta est) aut necessitatis caussa diei Dominici ferias negligere permittunt, *cap. 1. de feriis.* Imo diebus Dominicis & aliis festis, si alecia terræ se inclinauerint, eorum captioni ingruente necessitate intendere parochianis concedunt. Si piscationis oportunitas tanti est momenti, vt eam ne dierum festorũ quidem caussa negligere cogamur: quid de rerum bellicarum, incomparabili ratione maiorum, occasionibus atq; momentis statuendum? Hinc versiculi, quos refert gl. *in d. c, conquestus, de feriis:*

Hæc faciunt caussas festis tractare diebus:
Pax, scelus admissum, manumissio, res peritura,
Terminus exspirans, mora testis abesse volentis,
Cumq; potestatis patriæ ius filius exit.

Hoc priuilegium † ad inermem quoq; militiam, veluti Scholares 15
& Doctores glossa *in d. l. D. Adrianus*, extendit. Sed vtrum hoc illi priuilegium habeant, suo loco videbimus. Ex his certe legibus leue pro his argumentum sumi crediderim. Et plerisque in legibus, vbi militum fit mentio, de sola armata militia Imperatores sensisse, de altera ne somniasse quidem, sæpius inculcauimus.

Effectum autem † atq; vim priuilegii ita æstimare debemus, vt 16
aliquid vltra ius cõmune operetur. Itaq; cum iure communi feriæ ita ligare soleant, vt partib. non consentientib. neq; processus neq; sentẽtia quidquã valeat: iure huius priuilegii res militares dieb. feriatis adeo gerendę sunt atq; administrãdæ, vt ẽt contradicẽtib. aut

obstantibus quibusdam in hisce procedere non tantum liceat; Sed
17 etiam debeamus: ea tamen † cum moderatione, vt si quid æque profesto die fieri possit, festo minime geratur. Id enim, tum ipsius priuilegii, quod necessitatis bellicæ, non leuitatis, aut impietatis caussa natum est, abusus; tum vero in Deum & homines peccatum non dubium, æstimandum. Priuilegium igitur præsens non militum, sed ipsius rei militaris, imo publicæ, cuius caussa illa compara-
18 ta, ergo introductum est. Itaque † nec personale, sed omnino reale est: & ideo nec renuntiare huic quisquam delictoue amittere potest: sed vbicunq; rei militari locus atq; opus, ibi & præsenti priuilegio datur: & vicissim re militari ad tempus locoue certo sublata, hoc quoq; priuilegium cessare sciendum.

PRIVILEGIVM IV.

Milites, si quid damni dum Reipub. caussa absunt, acceperunt, restitutionem intra annum vtilem habent.

EPITOMA.

1 *In integrum restitutionis auxilium cui detur ostensum.*

2 *Reipub. caussa absentes restitutionis beneficium habent.*

3 *Milites, si quid damni dum Reipubl. caussa absunt, acceperunt, restitutionem intra annum vtilem, amota præscriptione medij temporis, habent.*

4 *Caussæ ob quas hoc priuilegium militi datum.*

5 *Priuilegium hoc milites habent tantum, qui, & quatenus, & quamdiu in expeditionibus occupati sunt.*

6 *In expeditione esse dicuntur etiam qui in hybernis, præsidijs, statiuisue locati sunt, & omnes quibus discedere a signis non licet.*

7 *Etiam Romæ militantes pro absentibus Reip. caussa habentur.*

8 *Corporis præsentia non sufficit, vbi animi voluntas curaq; requiritur.*

9 *Qui in vinculis & custodia est, pro absente habetur.*

10 *Hodie in locum vrbis Romæ orbis successit Romanus: & Roma Italiæ oppidum, pars est, non caput Imperij Rom.*

11 *Qui commeatu accepto aut alia occasione in suis sedibus alijsue locis agunt; item qui dolo vel in rem suam absunt: hoc priuilegio non fruuntur.*

12 *Priuilegium hoc moderate accipiendum.*

13 *Priui-*

13 *Priuilegium hoc etiam vxoribus militum, quatenus illæ cum maritis Reipublicæ caussa absentibus peregrinantur, prodest.*

14 *Ad heredem quoque militis defuncti beneficium hoc transmittitur, & num. 16.*

15 *Hoc priuilegiũ ratione caussæ reale est, ratione subiecti & hoc loco p̃sonale.*

17 *De vi huius priuilegii in concursu cum aliis aliqua traduntur.*

18 *Priuilegium hoc cum persona exstinguitur.*

19 *Renuntiatione amittitur.*

20 *Huic priuilegio annus vtilis præfinitus est, inter quem nisi vtaris, euanescit.*

RestItutionis sequitur beneficium, quod militibus & Reipublicæ caussa absentibus indultum. Noti † enim iuris est, in 1 integrum restitutionis auxilium non omneis passim læsos circumuentosve subleuare, sed eos tantum, quibus hoc singulari beneficio certis de caussis legislator indulsit. Et quamuis plurimum ad impetrandam restitutionem conferre absentia soleat, vt tum ex verbis edicti de restitutione, tum passim alibi manifesto patet: non quæuis tamen absentia hoc priuilegium impetrare solet, *l. 1. & l. 3. C. quomodo & quando iudex, &c. l. ne diu, 21. C. de pœnis, l. quæsitum, 78. in princ. & fin. de legat. 3. &c.* sed ea tantum, quæ caussam ac titulum iustum habere inuenitur: qualis inter † omneis eminet, quæ Reipu- 2 blicæ caussa euenit. Nam, vt alibi monstrabitur, omnes, qui Reipublicæ caussa absunt, si quo per absentiam illam damno affecti inueniuntur, in integrum iuris beneficio restituuntur. Quamobrem cum † & milites, qui discedere a signis sine periculo non possunt, 3 Reipublicæ caussa abesse intelliguntur, *l. 7. & l. penult. ff. ex quib. causs. maior. & c. l. si quid 2. l. seq. cum aliis, C. de restit. milit.* si quid de bonis eorum, dum militaribus laboribus operam dantes Reipublicæ caussa absunt, possessum aut aliquo modo diminutum est, actioneve, qua competẽte eis aliquis liberatus fuit: in integrum eis restitutio perpetua iurisdictione, amota præscriptione medii temporis, intra annum vtilem datur, *l. 2. & toto tit. C. de restit. milit. l. si quondam, 15. C. ad leg. Iul. de adult.*

Caussam † igitur, ob quam priuilegium hocce militibus tribua- 4 tur, absentiam esse Reipublicæ caussa vides. Inueniuntur tamen & aliæ, sed partim istam explicantes, partim ad eam spectantes. Velu-ti, militia *l. 1. & 3. C. de restitut. milit. l. 2. C. de vxoribus milit.* labores at-

que occupationes militares, *l.si cum, 6. C. de restit. mil. l. si quondam, 15. C. ad l. Iul. de adult.* disciplina militaris, *l. penult. C. de restit. mil.* & expeditio, *l. vlt. C. d. tit.* & quia discedere a signis sine periculo non possit, *l. penult. ff. ex quibus causs. maiores, &c.* Quæ tamen omnia ad idem penitus referuntur. Quandoquidem enim disciplina atque occupationes militares Reipublicæ caussa introductæ atq; institutæ sunt; milites autem hisce deditos a rebus atq; possessionibus suis abesse adeo necesse est, vt hisce meritam curam ac solicitudinem impendere non possint: æquissimum sane ac iustissimum est, eis officium suum damnosum non esse, sed potius si quod eos Reipublicæ caussa absenteis pati damnum contingat, idem alia ratione sarciri integrumq; reddi: vt exemplo & ratione docet *d. l. si quondam,* & æquitas ipsa suadet. Tenorem igitur præsentis priuilegii, caussamq; eius & rationem, ex hisce manifesta opinor.

5 Iam † illud, quod & prius docui, non prætereundum, vt non omnibus promiscue militibus hęc cōpetere censeamus, sed his solis, qui in expeditionib. occupati sunt, & quatenus ac quamdiu in expeditione sunt: illis temporibus, per quę citra expeditionis necessitatē in aliis locis vel in suis sedibus degunt, minime eos ad memorata priuilegia adiuuantibus, *l. fin. C. de rest. mil.* Hic illud † probe tenendum, quod supra demonstraui, in expeditione agere, idem esse quod in militia, nec eos tantum in expeditione esse, qui in hostili regione, in acie, aut castris apertis versantur, sed & qui in hybernis, in præsidiis, statiuisve locati sunt, & in summa omnes, qui discedere a signis sine periculo non possunt. Hi enim omnes Reipub. caussa abesse intelligūtur, *d. l. pen. ff. ex quib. caus. maior.* & proinde ad priuilegium quoque pertinent. Quod maxime insuper confirmat *l. & qui data, 5. cum duab. seqq. ff. d. tit.* Ibi enim expresse, eos qui Romę Reip. operam dāt, vt sunt magistratus, Reip. caussa abesse negatur:
6 (margin, beside "rata priuilegia")
7 at milites † etiam Romæ militantes pro Reip. caussa absentibus habentur. Quę huius ratio alia, quā quod magistratus quamuis Reip. operam dantes, interdum tamē ab occupationibus respirare, & rebus suis, siquidem Romæ, hoc est, in patria sunt, superesse possunt: milites vero ne latum digitum quidem neq; momento ab signis sine capitis fortunarumq; discrimine discedere possunt? Itaq; & hi, quamuis in patria, & ea re præsentes sint, pro absentibus tamen habentur.
8 Nec enim † corporis præsentia sufficit, vbi animi voluntas ac cura requiritur, *l. 1. §. 1. l. non multum, 14. ff. de auctorit. & consens. tut.*

l. nihil

l. nihil interest, 26. ff. de captiuis, l. diem, 26. §. coram, 5 ff. de recept. qui arbit. l. at qui natura, 19. §. si libero, ff. de negot. gest. Vnde † & qui in vinculis 9
& custodia detinentur, pro absentibus habentur, *l. succuritur, 9. l. seq. ff. ex quib. causs. maiores, &c.* Merito ergo milites quoque, quos Reipublicæ commoda atque vsus alligatos obnoxiosque tenent. Nec nobis quisquam obiicere audeat, quoniam in illis legibus Romæ fit mentio, peculiare id vrbis Romæ priuilegium esse. Nam si maxime vrgeat, fatear id solius Romanæ vrbis & solum Romanorum ciuium priuilegium esse: sed meminisse oportet, illo quidem tempore, cum lex illa scriberetur, omnium ciuium Romanorũ & militum, quibus hæc iura & priuilegia data sunt, patriam Romam fuisse, & † hodie in locum vrbis Romanę successisse orbem Romanum, 10
& ideo Romam illam Italiæ oppidum partem esse, non caput Imperii Romani: adeoq; omneis, qui in Imperio Romano militant, Romæ militare, & pro absentibus, dum militãt, haberi. Manet igitur sententia, milites & Reip. caussa absenteis omneis supra nominatos haberi: interim † si qui milites commeatu accepto, aut alia 11
occasione in suis sedibus aliisve locis agant, absentium eos priuilegio non gaudere. Nam nec qui dolo abest, *l. ignorare. 4. C. de restit. milit. l. item hi, 4. ff. ex quib. caus. maior.* nec qui in rem suam abest, *l. & qui data, ff. eod. cum simil.* priuilegiis Reipub. caussa absentium fruetur.

Ad interpretationem huius priuilegii quod attinet, scire † te 12
volo, vt alia priuilegia, sic & præsens, cum modo certo ac termino strictius esse accipiendum: ita, vt quantum verba aperta ac proprie sumta permittunt largiatur, nec pro libitu tamen in infinitum extendatur. Ita annum militibus vtilem, postquam Reipublicæ caussa abesse desierunt, nec amplius, indulget *l. 2. cum l. seq. C. de restitut. milit.* Ita si cum militaribus laboribus operam dares, creditoris tui heredes possessiones tibi obligatas distraxerunt: in integrum quidem restitutionem impetrare, retractaque venditione recipere possessionem tibi licebit: sic tamen, vt ante debitum, vel pretium, si minus debito fuisset, offeras, *l. si cum, 6. d. tit.* In summa, præiudicium tertii, vt vbique, sic in præsenti quoque casu caueri solicite debet, *l. 2. C. de annali exceptione.* His adde iam *dict. l. fin. C. de restitutione militum*, quæ non omnibus, sed his solis, qui in expeditione sunt, militibus, memoratum priuilegium collatum asseuerat: & legem præcedentem *ibid.* quæ illa, quæ a patre gesta sunt, non debere pro disciplina militari a filiis ad irritum reuocari ait;

non obſcure omnem huius priuilegii abuſum ac nimiam extenſionem interdicens. Ex quibus ac ſimilibus legibus ſatis manifeſtum fieri opinor, certum huic priuilegio modum præfinitum eſſe, cui inhęrendum firmiter, nec ad vlteriora, vt ſupra faciundum monuimus, exeundum. Interim tamen, ſi qua longius, quam verba ferunt, & ad plures idem priuilegium extēdi legibus probari poteſt,
13 id æque admittendum ſeruandumque non nego. Veluti,† ad vxores militum idem priuilegium, quatenus eæ cum maritis Reipublicæ cauſſa abſentibus peregrinantur, extenditur, *toto tit. C. de vxoribus milit.* Ob hoc ipſum vero, quia per extenſionem tantum & ad exemplum militum hiſce ſubuenitur, hactenus id credendum atque accipiendum, quatenus leges cauent. Vxoribus igitur tantum militum hoc priuilegium tribuitur, non focariis & concubinis. Illarum quippe ſolum in legibus mentio fit, non & iſtarum: quarum inſuper odioſam eſſe cauſſam, ſatis docet *l. 2. C. de donat. inter vir. & vxor.* Vxoribus item hoc priuilegium competit militum, non omnibus, nec ſemper, ſed iis tantum, quæ cum maritis Reipublicæ
14 cauſſa abſentibus peregrinantur, *d. tit. C. de vxorib. milit.* Ita † ad heredem quoq; militis defuncti idem beneficium reſtitutionis tranſmitti, docet *l. 1. C. de reſtitut. milit.* Omninoque adeo illud accurate ſeruandum, quod ſupra docuimus, vt ita priuilegium ſtricte ac proprie ſumatur, ne vel plus vel minus, quam legiſlatori placuiſſe probari poteſt, illi attribuatur, itaque vis priuilegii, voluntas & propoſitum conditoris (quod ſemper ex cauſſa priuilegii, quæ eſt abſentia Reipublicæ cauſſa, præſumi atque coniici poteſt) accurate ac penitus conſeruentur.

15 Iam † vtrum perſonale hoc priuilegium, an reale ſit, quæritur. Ego id partim reale eſſe, partim, & quidē hoc in caſu potiſſimum, perſonale. Nam reſpectu abſentię publicæ, quæ cauſſa eſt huius priuilegii, reale eſt. Abſentia enim talis priuilegium habet, idq; omnibus confert, qui Reipublicæ cauſſa abſunt: itaque priuilegium hoc reale eſt, & cum re trāſire ad quoſuis ſolet. Quod ſi vero in hoc caſu & reſpectu militum idem priuilegium accipiamus, ſic nimirum, vt militibus conuenire reſtitutionem in integrum aſſeramus, perſonale id omnino dicendum eſt. Perſona enim eſt, quę beneficium meruit. Et maxime hoc probat, quod ipſis militibus annus tantum
16 vtilis indulgetur. Nam *d. l. 1. C. de reſtitut. milit.* quæ † heredem militis defuncti idem reſtitutionis beneficium implorare poſſe affirmat,

mat, personale id esse potius, quam reale euincit. Expresse enim, heredem ex persona defuncti beneficium hoc implorare posse, dicit. Si ex persona defuncti: non igitur ex sua. Item intra annum tantum vtilem hoc facere potest, *d.l.* Quæ aperte priuilegium hoc personale esse demonstrant: nec ad successorem, nisi certo tantum in casu, qualis exempli caussa *in d.l.1.* exprimitur, & ex persona defuncti, transmitti. Transmitti vero & personalia quandoq; ex persona eius, cui competunt, non ignotum est. Et substitutum in locum alterius, eius priuilegio frui, quatenus successit: docui *lib.2. de priuileg. iuris ciuilis, cap. 4. num.122. & sequentib.* Alia longe conditio & natura realium est. Hæc enim cum re ita transeunt, vt is, qui re potitur, non ex altero, sed ex seipso æquo iure, priuilegium habeat, nec illo tantum in casu, quo id priuilegium priori competebat, sed omni in negotio, quo alias locus priuilegio patet, priuilegium exercere potest. Priuilegium igitur hoc ratione caussæ suæ, quæ est absentia, reale est, ratione subiecti, quod est miles, personale.

Ad vim † huius priuilegii & potentiam in concursu cum aliis 17
quod attinet, exempla quidem in legibus pauciora inueniuntur. Maxime tamen in hoc casu ex caussa eius & fine, ob quem indultum est, argumentari licebit. Caussa, absentia est Reipublicæ nomine. Respublica igitur auctoritatem his suam & auxilium impertit. Eius cum sit maximum aduersus alia priuilegia robur atq; præcellentia, hoc quoque militare priuilegium, quod cum illa coniunctum cognatumque esse videmus, non leue momentum habere credendum est. Vnde quidem fisci etiam priuilegium huic cedere, argumento est *l. neque Reipublicæ, 5. C. de restitut. milit.* Pupilli tamen priuilegium hoc potentius esse videtur, argumento *l. sicut in rem, 3. C. de præscript. triginta vel quadraginta annor.* vbi sola pupillaris ætas a præscriptione triginta annorum eximitur, non item absentia, nec militia. Pupillorum enim maximum, & merito, constat esse fauorem. Sed si rem recte consideremus, ne hoc quidem in casu priuilegium militare euanescit: imo vim suam potenter exercere solet. Nam vt glossa quoque *in d.l. sicut in rem in verbo, militia,* docet, triginta quidem annis aduersus absenteis & milites recte præscribitur: sed si priuilegio suo vti voluerint in integrum restituentur. Hæc de concursu priuilegii huius.

Nunc de amissione eiusdem pauca dicemus. Nam † cum perso- 18
nale sit, cum persona id exstingui necesse est. Quomodo enim lex

prima, *C. de restitutione milit.* accipienda sit, dictum est. Non integrum quippe absolute priuilegium transmittitur, vel in certo tantum
19 casu ex persona defuncti heres iuuatur. Renunciatione † autem idem priuilegium amitti posse, ex eo manifestum est, quod is demum in integrum restituitur, qui eius beneficium implorat, *l. 1. cum l. sequent. C. de restitutione milit.* Quod qui non facit, is in integrum non restituitur. Et sic omnino in voluntate eius, qui abfuit, positum est, petere velit restitutionem, an minus. Quod innuit etiam *l. si quoniam, 15. C. ad legem Iul. de adulter.* cum, *si per occupationem militarem non licuerit, accusare eam solemniter poteris*, ait. *Poteris*, inquit. Quod certe liberum accusandi arbitrium relinquit. Et quid multa? Cum tenorem ac propositum huius priuilegii inspicientibus id solius militis priuata de caussa introductum liqueat, cur renuntiare ei, quod sua caussa natum est, prohibeatur? Illud
20 hic notandum. Priuilegia † amitti non vsu decennii alibi diximus. Quod de iis est accipiendum, quibus non est additus terminus vel modus aliquis. Huic vero priuilegio annus tantum vtilis patet, intra quem, nisi vtaris, postea frustra eius auxilium implores. Itaque & tertium genus amissionis priuilegiorum, quod supra descripsimus, hoc priuilegium comprehendit. Annus enim, vt dixi, huic præfinitus est. Eo elapso, priuilegium quoque intercidere necesse est. Concursu cum aliis, quid patiatur ex præcedentibus coniectura capienda.

Quarto genere illum complexi sumus casum, cum priuilegiatus succedit in locum non priuilegiati. Hoc enim casu huius iure, non suo, vtetur. Huius exemplum & in hoc priuilegio habes *l. penult. C. de restitut. milit.*

Delicto denique, & inprimis abusu, hoc priuilegium corrumpi, ex his, quæ *in libris de priuilegiis iuris ciuilis* in genere diximus, clarum esse opinor. Quo illa quoque pertinent, quæ paulo ante diximus, cum hoc priuilegio non minus quam aliis vltra conditoris voluntatem abuti prohibitum monuimus.

Quæ breuiter & de hoc priuilegio dicta velim. Plura, & partim accuratiora accipies, cum vniuerse de priuilegio absentium Reipublicæ caussa dicemus.

PRIVI-

PRIVILEGIVM V.

Milites suum & proprium iudicem habent.

EPITOMA.

1 *Præses prouinciæ iurisdictionem habet in omneis, qui in prouincia sunt.*
2 *Non tamen in milites, quibus iudex est proprius.*
3 *Sed & hoc cum modo.*
4 *Priuilegiarius a iudice non suo citatus, comparere & priuilegium allegare tenetur.*
5 *In crimine enormi præses loci, vbi illud admissum, cognitionem & coercitionem habet, & num. 15.*
6 *Priuatus deposito cingulo, super caussis publicis & super ratiociniis militaribus in militari iudicio respondere debet, & num. 16.*
7 *Qui posteaquam in ius vocatus est, miles esse cœpit, in ea caussa ius reuocandi forum non habet.*
8 *Multo minus, qui metu criminis, in quo iam reus fuerat postulatus, nomen militiæ dedit.*
9 *Milites proprium iudicem habent, eum scilicet, sub quo militant.*
10 *Priuilegium hoc ad solos armatos milites pertinet.*
11 *Actor forum rei sequitur.*
12 *Finales huius priuilegii caussæ.*
13 *Priuilegium hoc personale est.*
14 *Concursus huius priuilegii cum aliis.*
17 *Ratione feudi miles coram domino feudi vel paribus curiæ conueniendus.*
18 *Priuilegium hoc cum persona exstinguitur.*
19 *An renuntiari huic priuilegio & quatenus possit determinatum.*
20 *Delicto hoc priuilegium amitti ostenditur.*
21 *In contractibus ciuilibus aut publicis, qui grauiores sunt, præscriptione sui fori milites vti non possunt.*
22 *Qui vltra numerum constitutum militant, milites non sunt, nec priuilegia habent.*

ACcedo ad iurisdictionis & iudiciorum materiam: vbi non minus quam alibi priuilegium milites habent. Iure † enim 1 communi præses prouinciæ imperium ac iurisdictionem habet non in suæ tantum prouinciæ homines, *l. præses, 3 ff. de officio præsidis*, §. *volumus autem, authentic. vt iudices sine quoquo suffragio, &c.*

sed etiam in extraneos, siquidem aliquid manu commiserint, *d. l. præses*, aut ibidem contrahant, *l. 2. C. de iurisdict. omn. iudic. l. vnica, C. in quibus causs. militantes fori præscript. vti non poss.* vel delinquant, *l. fin. ff de accusat.* hereditatem, *l. non tantum, 51. ff. de fideicommiss. libertat.* vel possessionem, *l. vnica, C. vbi de possess. agi oport.* petant, &c. Præses enim prouinciæ maius imperium in ea prouincia habet omnibus, post Principem, *l. præses, 4. ff. de offic. præsid. l. vnica, ff. de offic. præfecti prætor.* adeo vt omnium aliorum magistratuum iura atque cognitiones potestate ac iurisdictione sua contineat, *l. ex omnibus, 10. l. seq. ff. de offic. præsid.* Ius autem quisque dicit, quatenus territorium eius patet, *l. vlt. ff. de iurisdict. omn. iudic. l. fin. C. vbi quis de curiali, &c.* Et semper vbi domicilium reus habet, vel tempore contractus habuit, licet hoc postea transtulerit, ibi conuenitur, *d. l. 2. C. de iurisdict. omn. iudic.*

2 His tamen † omnibus nihil obstantibus, milites ab iurisdictione ordinaria præsenti priuilegio eximuntur, ita vt amplissima præfectura nullam habeat potestatem in militareis viros, *l. 1. C. de offic. magistri milit.* Hi enim iudicem habent proprium magistrum seu ducem suum sub quo militant, in omnibus tam ciuilibus, quam criminalibus caussis, *l. magisteriæ, & ibid. gloss. C. de iurisdict. omn. iudic. l. 1. C. de exhibend. & transmittend. reis, l. fin. in princ. C. de re militari, lib. 12. l. 2. C. de offic. magist. milit.* siue militares hæ fuerint, siue non, *l. 2. C. vbi quis de curiali, &c. Iul. Clar. lib. 5. sentent. §. fin. quæst. 35. num. 24.* siue inter militares vtrinq; viros, siue inter priuatum actorem & reum militarem caussa vertatur, *d. l. magisteriæ.* Militaris igitur reus, nisi a suo iudice, nec exhiberi potest, nec si in culpa fuerit, coerceri, *d. l.* Et si in prouincia quacunque miles deliquerit, eum rector prouinciæ illius sub custodia quidem constituere, *l. 1. C. de exhibend & transmittend. l. nemo miles, 13. C. de re militari, lib. 12.* atque etiam audire, *l. 3. ff. eod.* potest: sed eum cum elogio ad Ducem seu magistrum, sub quo militat, referre ac remittere debet, *l. de militibus, 9. ff. de custod. & exhib. reorum, d. l. 3. ff. de re milit. d. l. 1. C. de exhibend. & transmitten. reis,*
3 *Bald. in l. vlt. C. vbi quis de curiali, not. 2.* Veruntamen † ne & prouinciarum Præsides atque Rectores iure suo penitus priuentur, inque administratione sua & regimine turbentur, hæc inter ipsos & iudicem militarem moderatio seruanda est, quam proponit gloss. *in d. l. magisteriæ, in verb. etiam ciuilium quæstionum.* In militari quidem crimine ac delicto solus iudex militaris tam cognitionem quam coercitionem

citionem habet, *d.l.l.1. & l.eos,qui,3.C.de officio mag.mil.l.1. C. de officio vicarij*. Nisi tamen aliquo delicto vel casu miles hoc priuilegium amittat, vt infra docebo. Quod autem *l.desertorem,3.ff. de re milit.* desertorem a præside audiri permittit, id ex sequentibus & aliis legibus, non tam in desertione, quam delicto alio ab eo commisso, accipiendum apparet. Imo & super desertione pręses cognoscere potest, non vt super delicto militari, sed vt de priuilegio eius & iudice constare possit. Nam & priuilegiarius a iudice alieno citatus, comparere & priuilegium † allegare tenetur, *l.2.C.de excusat.veteran.l.1.* 4
ff.de vacat.& excus.munerum,c.si duobus,de appellat.&c. Itaq; si desertor ob delictum ad iudicem vocetur, de priuilegio sane militiæ, vtrum hoc ei competat, præses cognoscere, & re cognita ad iudicem illum suum remittere debet. Atq; hęc in crimine militari. In crimine autem communi seu publico, siquidem id leue sit & mediocre, cognitionem quidem habere præsidem prouinciæ, coercitionem vero magistri esse militiæ, d.glossa censet: & fac. *dict.l.magisteria,ibi,etiam ciuilium quæstionum,&c.d.l.1.C.de exhib.& transmit.reis,d.l.3.ff.de re militari, dict.l.de militibus,9.ff. de cust.& exhib.reorum.* Quod si vero enormius † sit & grauius delictum, præsidem loci vbi crimen admissum est, & cognitionem habere & coercitionem, eadem glossa affirmat: & iubet *l.fin.ff. de accusat. cum d.l. desertorem,3.* Quo pertinet etiam † *l.vlt.C.vbi de ratiociniis, &c.* quæ eum, qui post depositum 6
cingulum suæ priuatæ vitæ redditus, super caussis publicis, quas dum militaret, exercuit, vel super ratiociniis militarib. per quæ suos contubernaleis afflixisse asseritur, in militari iudicio respondere iubet: in quo & instructio sufficiens, & nota testimonia, & verissima possunt documenta præstari. Tamen † si quis postea quam in ius 7
vocatus est, miles & proinde alterius fori esse cœperit, in ea caussa ius reuocandi forum non habebit, *leg.si quis,7.ff.de iudiciis*. Imo qui metu † criminis, in quo iam reus fuerat postulatus, nomen militiæ 8
dedit, statim sacramento soluendus est, *l.fin.ff. de re militari, fac.l.si maritus,15 §.1.& 2.ff.ad leg.Cornel.de adult.l.vnica,C.de reis postul.lib.10. l.1.C.de his qui ad Eccles.confugiunt*, & sic ad iudicem suum remittendus, *l.qui cum vno,4.§. ignominia missus,6.ff.de re militari.* Summa † igi- 9
tur huius priuilegii huc redit, vt milites in omnibus militaribus criminibus & ceteris ex parte, proprium habeant iudicem. Is legibus nostris est magister militum, *l. fin.C.eod.l.1.C.de exhib.& transmit.reis, l.1.C.de officio mag.mil.* vel Comes, *d.l.1.l.1.C.de officio vicarij*, seu Dux

LL 3

d.l.fin.d.l.desertorem,3. & in summa is sub quo militant, *d.l.de militibus,9.* Atq; hodie quidem, mutatis cum reliquæ forma militiæ etiã dignitatibus ac præfecturis militaribus, quis sit militaris iudex, non tam ex libris & iure scripto, quã vsu & ratione hodiernæ militiæ discẽdum. Interim priuilegiũ præsens, vt proprium & militarem iudicem habeant milites, æque firmum atq; integrũ iis manet. Iudex hic ex *d.l.de militib.9.* definiendus est, ille sub quo militant, & quatenus sub eo militant, *fac.l.1.in princ.ibi, ab Imperatore eoue cui de ea re statuendi potestas fuerit ff.de his, qui not. infamia.* Est enim primus, atq; adeo summus & plenissimus eorũ iudex Imper. seu Dux summus belli, cuius auspiciis ac nomine bellũ vniuersum geritur, der Kriegs Herr. Sub hoc alii deinceps Duces & præfecti continentur, qui & ipsi iurisdictionem in milites habent, sed alii maiorẽ, alii minorem. Nam vt cuiusq; officiũ amplius ac maius est, ita plus iuris in milites ac imperii habet, *fac.l.offic.12.in prin.& §.2.ibi delicta secundũ auctoritatis suæ modum castigare, ff.de re mil.l.milites, seq.§.irreuerens, ibid.* Itaq; ẽt sentit Iul.Clar. *lib.sent.§.fin.q.35.n.24.& q.38.n.4.* Horum vero iurisdictio in militarib. tantum personis consistit, nec ad prouinciales alios extenditur, *d.l.1.C.de officio mag.mil.l.2.C.de offic.milit.iud.*

10 Ad solos autem armatæ † militiæ milites hoc priuilegiũ pertinere, nec vltra extendi, docent expresse *l.vnica, C.in quib.causs.mil.fori, præsc.vti non poss.l.nullum,14.C.de testib.l.2.C. vbi quis de curiali.* Quod ipsum stricte illud ac proprie semper accipiendũ argumento est: vt ceteræ quoq; leges, quæ huic priuilegio modũ faciunt, veluti *d.l.desertorem,3.& l.fin.ff.de re milit.l.pen.C.de offic.præf.præt.d.l.1.& l.3.C.de*
11 *offic.mag.mil.&c.* Quare & in his † regula, vt actor rei forũ sequatur, obseruanda, *d.l.magisteria,6.* & miles in proprio quemque foro conuenire debet, *l.pen.C.de officio præf.præf.*

12 Finalis huius † priuilegii caussa nulla fere in legib. quæ de illo agunt, expressa legitur. Sed potest ex communib. caussis huic merito aliqua adsignari: veluti; fauor erga milites, quo duci Impp. atq; inclinari *in d.l.vnica, C.in quib.causs.militantes, &c. & in d.l.2.C. vbi quis de curiali.* videntur. Item, vt beneficio milites fortissimi & præmio afficiantur, minimeq; læsionem aliquam seu dispẽdium patiantur, vt cauent tum supr. *libr.1.c.8.n.16.* allegatæ leges, tum inprimis *l.fi.in prin.C.de re milit.lib.12.* Sed enim & d. *l.vlt. in fin.C.vbi de ratiocin.* aliquam huius priuilegii caussam notat, cum de caussa ad milites attinente ideo in militari iudicio iubet respondere, quoniã in eo & instructio

ſtructio ſufficiens,& nota teſtimonia,& veriſſima poſſunt documēta præſtari. Quæ profectò non leuis huius priuilegii cauſſa ratioque eſſe videtur. Aliquam etiā ſuggerit *d.l.vlt. in pr. & fine, C. de re milita-ri, lib.12.* Vt quidquid emerſerit pro communi ſecuritate curandū, hoc protinus competens poſſit mereri remediū, quo facit *& l. vlt. C. de offic. mil. iud.* Æquitatem quoq; ſummū finem attingit *l. vlt. §. ſi quis vero, C. de re mil.* Verum omneis leges & tenorē huius priuilegii naturāq; ipſius penitus inueſtiganti, proxima & propriiſſima cauſſa fauor eſſe militum apparet, vt ipſorum cauſſæ tanto expeditius, tāto melius, tanto ſecurius decidantur, milites item, qui plerunq; paganis odio eſſe ſolent, inuidia iudicis ab ipſis alieni non facile opprimantur, *fac. d.l. vlt. §. quoniam vero, C. de re milit.*

Quare † cum perſonam militum huius priuilegii mereri fauorem manifeſtum ſit, priuilegium quoq; præſens perſonale eſſe ſua ſponte ſequitur. 13

Quod ad † concurſum huius priuilegii cum aliis, nihil in ſpecie determinatum inuenio. Frequentiſſime autem hoc accidit, cū militare forum cum alio concurrit, & ad vtrum horum cauſſa ſpectet ambigitur. Vbi quæ ratio ſequēda iam in principio regulam dedimus: ex qua in militarib. omnib. cauſſis militare forū vincere patet, in ceteris pro natura cauſſæ & pro grauitate rei illud forū præualere, ad quod cauſſa illa propius attingere videtur, *fac. l.1. C. de offic. vica-rij.* Vnde ſi † miles crimen commune & grauius admiſit, ibi eū pœna plecti debere, vbi facinus admiſſum eſt, Diui Seuer. & Anton. reſcripſerunt *in d.l. deſertorem, 3. in pr. & in l. fin. ff. de accuſat. & inſcript.* Et viciſſim † ille, qui iam poſito cingulo militari aliud forū ſortitus eſt, tamen ſi ex adminiſtratione vel cauſſa militari conueniatur, in militari iudicio reſpondere debet, *d.l.2. C. vbi de ratiociniis.* Ita † ratione feudi, miles non coram magiſtro ſuo, ſed coram domino feudi vel paribus curiæ conueniri debet, vt docet L. Schraderus *in tract. feudi. part.10. ſect.1. n.3.* 14 15 16 17

Amiſſionem † huius priuilegii quod attinet, cum perſonale ſit, perſonam ſequi neceſſe eſt, & proinde morte priuilegiarii, ſiue naturalis hæc, ſiue ciuilis exſiſtat, priuilegiū quoq; amitti conueniens eſt. Ignominia igitur miſſus priuilegium fori militaris amittit, *l. qui cum vno, 4. § ignominia miſſus, ff de re milit.* Sed & cauſſaria & alia quacunq; ratione miſſus, aut quomodocunq; miles & in numeris eſſe deſinens, priuilegium amittit. 18

19 Renūtiari vero eidem † priuilegio poteſt, tam expreſſe *l. ſi quis in conſcribendo, 29. C. de pactis*, quam tacite, facto nimirum contrario, *l. nullum 14. C. de teſtibus*. Et ratio eſt, quod omnibus liceat his, quæ pro ſe introducta ſunt, renunciare, *d. l. ſi quis in conſcribendo*. Obſtare tamen his atq; negare videntur, quæ *libro 3. de priuileg. iuris ciuil. cap. 16. num. 30.* diſputauimus, priuilegiis exemtionum renuntiari poſſe negantes. Sed & ibi diſtinximus, & nunc idem monemus, non omnia fori priuilegia fori ſeu iudicis, ſed quædam & rei cauſſa introducta. Itaq; vbi iudicis cauſſa priuilegium natum eſt, aio reum quēque, licet particeps ſit huius, renuntiare ſine conſenſu iudicis non poſſe. Sin ſua cauſſa, poſſe. Iam præſens priuilegium ipſorum magis militum cauſſa quam iudicis militaris introductū, ex hactenus dictis clarū eſt. Non nego tamen, eſſe caſus non paucos, vbi ſine præiudicio fori militaris miles renuntiare non poſſit: in delictis præſertim & pene omnibus militaribus cauſſis. Maxime igitur hic ſuprad. diſtinctionem ſequi te iubeo, vt ſi quidem renuntiatio fieri poſſit ſine præiudicio rei foriq; militaris, quod in ciuilibus cauſſis fieri ſolet, renuntiare priuilegio tuo poſſis: ſin renuntiatio cedat in præiudicium fori tui, vt fere in militaribus, non poſſis. Nec leges prius memoratæ, quæ tamen non obſcure renunciari poſſe affirmant, quidquam reclamant. Loquuntur enim magis in eo caſu, cum iam renuntiatum eſt, nec an renuntiare his liceat omnibus, ſed vtrumſi qua rite renuntiauerint, ſtare renuntiationi debeant, quærunt: itēque in ciuilibus tantum caſibus loquuntur, vbi renuntiationem admitti dictum eſt. Hæc de renuntiatione.

20 Delicto priuilegium † præſens omitti certum eſt. Prima autem illa ſunt delicta, quæ militem de medio tollunt, hoc eſt, nomen ipſi & iura militaria adimunt, vt *l. militares, 16. Cod. de re militari. libro 12.* de quibus iam prius. Sed ſunt quædam delicta & caſus, vbi miles & nomen & alia iura militaria retinet, præſens autem priuilegium amittit. Veluti, ſi qui milites per prouincias relictis propriis numeris paſſim vagentur, eos correctos præſes cuſtodiet, *l. nemo, §. vlt. C. de re milit. lib. 12.* Ita abuſus quoque huius priuilegii idem eripit: veluti, ſi quis eo animo militiæ ſe dedit, vt ſub obtentu militiæ pretioſiorem ſe aduerſario faceret, *leg. qui cum vno, 4. §. non omnis, ff. de re milit.*

Concurſu cum aliis idem priuilegium aliquando cedere, ſupra
21 dictum eſt. Quibus adde, in † contractibus ciuilib. aut publicis, qui

grauio:

grauiores sunt, præscriptione eos sui fori vti non posse, secundum Wesenbecium in Parat. *Cod. Tit. in quibus caussis mil. fori præscript. vti non poss.*

Eos deniq; † qui vltra statutum numerum militant, ciuilium iudicum sententiis, super quolibet negotio subiacere, ait *l. eos, qui, 3. C. de offic. mag. militum.* Sed ego taleis veros milites esse nego, cum, quod est præcipuum, superioris auctoritate destituantur. Ideo nec priuilegia militum habent. 22

PRIVILEGIVM VI.

Militi per Procuratorem seu res eius tractantem vindicatio rei seu actio quæritur.

EPITOMA.

1 *Militi per procuratorem vel quemcunq; pecuniam aut res eius tractantem vindicatio rei seu actio quæritur.*
2 *Caussa huius priuilegij.*
3 *Priuilegium hoc personale est, & strictæ interpretationis.*

SEXTVM priuilegium militis est, quod sicut † per tutorem pupillo, per curatorem minori, ita militi per procuratorē vel quemcunq; pecuniam aut res eius tractantē vindicatio rei seu actio quæritur, *l. si vt proponis, 8. C. de rei vend. l. si pecuniam, 26 ff. de reb. cred. si cert. peta.* Nā de iure quidē cōmuni res emta ex pecunia mea, nō fit mea, nec a me vindicari potest, *l. si ex ea, 6. C. de rei vind. tot. tit. C. si quis alteri vel sibi, &c. l. quamuis ea pecunia, 17. C. de pignorib. l. pen. C. de distr. pign. l. si is, qui, C. depositi:* At ex militis pecunia emta res, fit ipsius, vindicariq; ab ipso potest, *d. l. si vt proponis,* non aliter quam si tutor vel curator pecunia eius, cuius negotia administrat prædia in nomen suū comparauerit, vtilis actio illi, cuius pecunia fuit, datur ad rē vindicandam, *l. 2. ff. quando ex facto tutoris, &c. l. 3. C. arbitrium tutelæ.* Sic de iure communi per procuratorem personalis actio non quæritur, nisi cedatur, *l. possessio, 49. §. fin. ff. de adquir. vel amitt. poss. l. si procuratorem, 8. §. fin. ff. mandati,* aut præsens fuerit Dominus, *l. si procuratori præsentis, 79. ff. de verborum obligat.* At militis pecuniam si procurator eius mutuam dedit, fideiussoremque accepit, actio militi, cuius pecunia fuit datur, *dict. leg. si pecuniam, ff. de rebus credit.* exemplo eo, quo si tutor pupilli aut curator minoris pecuniā alterutrius 1

eorum creditam stipulatus fuerit, *d. l. & l. eum qui, 5. §. penult. ff. de pecun. constit. l. 2. ff. quando ex facto tutoris, &c.* nam & his in eo casu actio datur, dd. ll.

2 Caussam † huius priuilegii habes *in d. l. si vt proponis*, militiam, cuius fauore id introductum est, & æquitatem.

3 Priuilegium † hoc personale esse, & personæ militis penitus adhærere, omnibus euidens esse opinor. Stricti item iuris atq; interpretationis idem esse, eo argumento statuendum puto, quoniam id satis cum præiudicio tertii procedit: vt docent *d. l. si ex ea pecunia, l. si patruus, 4. C. communia vtriusq; iudicij, l. 1. C. si quis alteri vel sibi, &c.* quæ ex mea pecunia rem comparatam ab inuito in me transferri, iniuriosum pronuntiant.

Hæc de isto priuilegio speciatim dicere libuit. Rara enim eius alibi mentio est. Itaq; ex supra tradita doctrina & regulis quo ad cetera æstimandum. Nunc ad alia pergo.

PRIVILEGIVM VII.

Milite indebitum soluisse querente, is qui accepit pecunias bene se illas accepisse ostendere debet.

EPITOMA.

1 *Miles si indebitum se soluisse queratur, tunc is qui accepit pecunias, ostēdere debet, bene eas accepisse, & debitas ei fuisse solutas.*

2 *Caussa huius priuilegij.*

3 *Priuilegium hoc habent etiam mulieres, pupilli, minores, agricolæ, & alij.*

4 *Limitatio eiusdem.*

DE hoc quoq; priuilegio pauca singularia in iure traduntur. Ipsum tamen satis apertum, satisque in fauorem ac commodum militum cedit. Versatur autem circa indebiti probationem. Cum enim de iure communi, si de indebito soluto quæstio est, ei probatio incumbit, qui soluit, *l. cum de indebito, 25. ff. de probationibus*, nihil-
1 ominus miles, si † indebitum se soluisse queratur, tunc is, qui accipit pecunias, ostendere debet bene eas accepisse, & debitas ei fuisse solutas, etsi non ostenderit eas redhibere, *d. l. §. 1.*

Huic † priuilegio caussam dedit imperitia rerum forensium & 2
simplicitas, *d. l.* quæ multa præterea militibus priuilegia & auxilia singularia impetrauerunt: vt ex præcedentibus apparet. Et † hoc 3
priuilegium non militibus tantum, sed pupillis quoque minoribus, mulieribus, agricultoribus, & aliis qui forensium rerum expertes sunt, competere docet *d. l. &* §.

Limitatur † tamen & restringitur *in* §. *sequenti ibidem*, vt tunc 4
demum exerceatur, cum totam summam indebitam fuisse solutam is, qui dedit, contendit. Sin autem pars pecuniæ solutæ debita fuisse negatur, aut si ab initio quidem debitum fuit, sed vel dissoluto debito postea ignatus iterum soluit, vel exceptione tutus errore eius pecunias dependit: ipse omnimodo ostendere debet, quod vel plus debito persoluit, vel iam solutam pecuniam per errorem repetita solutione depẽdit, vel tutus exceptione suam nesciens proiecit: secundum generalem regulam, quæ eos, qui opponendas esse exceptiones affirmant, vel soluisse debita contendunt, hæc ostendere exigit. Hæc de isto quoque priuilegio dicta sunto. Reliqua ad supra tradita exigantur.

PRIVILEGIVM VIII.

Milites testimonium non dicunt inuiti.

EPITOMA.

1 *Testimonium omnes dicere coguntur.*

2 *Milites testimonij perhibendi caussa a signis vel muneribus suis inuiti non euocandi.*

3 *Priuilegij auctor.*

4 *Caussa.*

5 *Aliæ personæ quæ testimonium non dicunt.*

6 *Hoc priuilegio fruuntur etiam qui aliquid exercitus præbendum conducunt.*

7 *Qui isti, & quales, descriptum.*

8 *Priuilegium hoc an ad familiam quoq; militi necessariam extendatur, inquiritur.*

9 *Quid in concursu cum aliis valeat præsens, innuitur.*

10 *In maiestatis caussa miles ad testimonium cogi posse videtur.*

11 *Etiam magistratus, & prætor ipse, in iudicio adulterij caussa testimonium dicere coguntur.*

12 *Miles inoffensa disciplina testimonium quandoq; dicere potest, & tunc id non facile detrectare debet.*

13 *Veritatis vis magna & pondus.*

14 *Quis vocare militem ad testimonium possit, indicatur.*

15 *An renuntiare huic priuilegio miles possit, indagamus.*

16 *An vnico actu huic priuilegio renuntietur, quæstio.*

De Probationibvs titulum proxime sequitur alter de testibus, in quo iterum priuilegium militare habemus. Etenim
1 cum alias regulariter & de iure communi † non in criminalib. modo, sed ciuilibus quoq; caussis, omnes in testimoniũ adhiberi, quorum fides non vacillat, *l.1.ff.de testib.l.3.§ fin.in fine, l.ob carmen,21.§.1. ibid.* imo vero & cogi possint, *l. constitutio,16.C.eod.l.si quando,19. l. in-*
2 *uiti,8.ff.d.tit.* milites † tamen perhibendi testimonij caussa a signis vel muneribus suis inuitos euocari non debere, sancit *l.3.§.vlt.& d. l. inuiti, ff.d.t.*

3 Huius priuilegii † auctores D. Adrianum Diuosq; fratres ponit
4 *d.l.3.§.vlt.* Caussam eius † itidem habes, partim quod non temere cogendi sunt testes per longum iter, quod in militibus plerunq; futurum esset, partim vero ob disciplinam militarem & munera militiæ, quæ ipsos, vt iam sæpius monuimus, abesse aut aliis vacare rebus minime patiuntur. Hæc caussa est, vt milites testimonii dicendi gratia euocare inuitos non liceat.

5 Sunt quidem † & aliæ personæ, idem vel simile priuilegium habentes: sed reuera aliud horum priuilegium, alia caussa est. Itaque nec ad hoc priuilegium illud, nec hoc ad alterum pertinet. Illi ta-
6 men † hoc priuilegio & ex eadem caussa frui dicendi sunt, qui
7 quid exercitui † præbendũ conduxerunt. Nam & hos inuitos testimonium non dicturos, ait *l. inuiti,19.in princ.ff.de testib.* Qui † autem & quales sint isti, qui exercitui quid præbendum conduxerũt, quæritur. Glossa *in dict. l.* eos interpretatur, qui equos & plaustra annonam exercitui conuehentia præbeant. Quod mihi nimis parum, nec dignum priuilegio videtur. Rectius Iac. Cuiacius *lib.2.obs.c.23.* eos intelligit, qui vinum, vestimenta, frumentum, aut aliquid aliud exercitui præbendum certa pecunia conduxerint. Vniuerse igitur ad testimonium dicendum cogi nequeunt, mercatores ac negotiatores qui castra sequuntur, qui annonam, qui vestes, qui arma, qui alias

qui alias militibus necessarias res in castra conuehunt, militibusque certo pretio vendunt. Hos enim, vt alibi docebitur, a vectigalibus quoque & portoriis immuneis esse constat. Eos aio, qui castra sequuntur, non omneis illico, qui quid militibus vendunt. Nam & verba legis repugnant, quæ de his loquuntur, qui quid exercitui p æbendum conduxerint, hoc est, quorum tota negotiatio & occupatio in militum & exercitus vsum destinata est. Hi quoq; præsenti priuilegio continentur, magna ex ratione. Sine namque annona & rerum necessariarum comparatione, exercitus nec viuere nec quidquam alicuius momenti efficere potest. Nec ipsos milites omnia ista secum ferre consultum est, imo nec fieri potest. Hicce igitur homines priuilegiis istiusmodi partim incitandi atque commouendi sunt, quo tanto promtius impigriusq; operam suam præbeant, partim vero muniendi liberandique, vt ab omnibus aliis negotiis & occupationibus vacui, huic vni studio eo expeditius diligentiusque incumbere possint. Sed † ad familiam quoque mili- 8
tum necessariam hoc priuilegium extendere possis. Priuilegium enim alicui concessum, iis quoque sine quibus persona illa esse nequit, tribui, *lib. 2. de priuileg. iur. ciuil. cap. 4. num. 100. & sequentib.* ostendi. Sed magis est (vt *ibid.* monui) iis tantum dari, sine quibus persona priuilegiata priuilegio frui nequit. Videtur autem miles etiam sine familia priuilegio frui posse. Plus illa ratio efficere videtur, vt sicut mulieribus, quæ cum maritis Reipublicæ caussa absentibus peregrinatæ sunt, ad exemplum militum subuenitur, *toto tit. C. de vxoribus milit.* ita familia dominum in bella sequens exemplo militum ad testimonium trahi non possit. Veruntamen quoniam nec lex vlla nec ratio satis efficax id priuilegium ad familiam extendere videntur, & non æque ad signa & munera publica familia, vt milites affixa esse debet, hoc ei priuilegium tutius negaueris.

In † concursu cum aliis priuilegiis quam vim præsens habeat, 9
nec exemplorũ nec rationis leges nobis satis suppeditãt. Æstimari autem singula ex caussis sua serim. Et cum id militaris rei ac disciplinæ promouendæ conseruandæque caussa sit comparatum, illa vero vt maxime Reipublicæ necessaria atque vtilia plurimis aliis caussis sint merito antehabenda, hoc quoque priuilegium plerisq; aliis anteferendum censuerim. Quod si vero priuilegium occurrat, quod maiorem præsenti (quod fieri vtique potest) vel semper vel in certo casu habeat rationem, id rursus præferendum nun-

10 quam negauerim. Vnde † in maiestatis caussa miles quoque ad te-
stimonium cogi posse videtur, argumento *l. nullus, 4. C. ad legem Iul.*
11 *maiest. l. de minore, 10. §. 1. ff. de quæst.* Sic † si res exigat, non tantum pri-
uatos, sed etiam magistratus, si præsentes sint, vt & prætorem in iu-
dicio adulterii caussa, testimonium dicere ait *l. ob carmen, 21. §. 1. ff.*
12 *de testibus.* Hoc † etiam in tali quæstione pensandum, non vtique
vniuersam disciplinã militarem euerti aut labefieri, si cum in graui
negotio veritas aliter inueniri, nec testes alii haberi possint, miles
vnus aut alter ad testimonium euocentur. Potest enim nihilomi-
nus stare atque peragi res militaris, etiamsi vnus aut plures ad exi-
13 guum tempus milites auocentur. Veritatis † contra vis magna est,
ad quam eruendam per omnem viam procedendum, *l. fin. § si vero
quis, C. de Episcop. audien. l. vbi falsi examen, 22. C. ad l. gem Cornel. de falsis,
l. is apud, 2. l. non est nouum, 5. C. de edendo, l. nec omissa, 15. C. de liberali caus-
sa.* Itaque nec miles ægre ferre, si quando vel inuitus caussa grauio-
re suadente ad testimonium a legitimo iudice vocetur, debet. Ab
14 legitimo † iudice, dico. Libro enim tertio de priuilegio iuris ciuilis
dixi & docui, priuilegia auferre posse eundem, qui dedit, non infe-
riorem iudicem; idque ex caussa. Itaque & hoc priuilegium militi
auferri potest, caussa iusta & æqua iubente. Huius æstimatio non
est in cuiuslibet iudicis potestate, sed eius tantum, qui priuilegium
militibus dedit, vel ab auctore priuilegii auctoritatem ac potesta-
tem habet. Itaque nec miles metuere debet, ne per hoc quocun-
que casu vel caussa interueniente priuilegio suo temere exuatur:
sed iudici hoc legitimo & competenti damus, eidemque non vs-
quequaque, sed cum caussa, nec omnimodam priuilegii priuatio-
nem, sed illo tantum in casu suspensionem eius (vt innuit *d. l. nul-
lum, 14. ibi, tanquam ante iudicium interim deposito exceptionis fori priuile-
gio, C. de testib.*) assignamus.

15 Sed † & renuntiare huic iuri militem posse, ex tenore eiusdem
patet. Inuitos enim vocare prohibet *l. inuiti, 8. ff. de testibus.* Ergo vo-
luntarii testimonium ferre possunt. Idque exemplo confirmat *d. l.
nullum, 14.* Veruntamen illud simul obseruandum, cum hoc in pri-
uilegio militarem disciplinam remque verti supra dictum sit, non
vsquequaque a militis voluntate renuntiationem eius pendere.
Itaq; nego militem huic priuilegio renuntiare posse, si id fiat cum
damno & neglectione disciplinæ militaris. Ratio huius firmissi-
ma est, quæ milites, nisi & nomine & iuribus militaribus exui ve-
lint,

lint, ab signis & numeris suis abesse vetat. Muniis item ac studiis militaribus publicis indesinenter eos incumbere eadem disciplina iubet, *l. milites, 15. C. de re militari, lib. 12. l. milites, 31. C. de locato.* Non nego interim, posse aliquo casu eos, vel venia expressa a magistro militiæ impetrata, vel alia occasione, ad testimonium venire, vt nec contra officium suum nec disciplinam quidquam admittant. Hoc tum casu renuntiationi locum esse aio Sed an † vnico actu 16
huic priuilegio renuntietur, quæstio est. In eo quidem casu, cuius occasione renuntiatum est, priuilegium penitus ablatum, satis manifeste ostendit *d. l. nullum, 14.* Sed an, qui semel in iudicio testimonium dixit, nec se protestatione facti sui muniuit, postea etiam inuitus ad testimonium trahi possit, ambigitur. Nego autem posse: quoniam, vti dictum, priuilegium eius non omnino ab eius arbitrio & voluntate dependet, ac fieri facile potest, vt idem miles, qui certo in casu & tempore inoffensa disciplina sua testis fuit, alio in casu ac tempore non sine magno dispendio ac negligentia officii idem facere possit. Nego igitur, vnico actu huic vniuerse quenquam renuntiare posse, nisi & professioni atque ordini suo renuntiare velit. Hæc de amissione quoque huius priuilegii breuiter dicta velim: de ceteris in his, quę generatim præmisi, satis admonitum dictumque opinor.

PRIVILEGIVM IX.

Milites in prouincia, in qua militant, prædium rusticum comparare prohibentur.

EPITOMA.

1 *Milites in prouincia, in qua militant, prædium rusticum comparare prohibentur.*
2 *Emtiones iuris gentium sunt.*
3 *Ius gentium omni humano generi commune est.*
4 *An hoc priuilegium contra ius gentium sit, & ea re nullum, inquisitum.*
5 *Ius gentium certis casibus corrigitur, limitatur, suspenditur, sed alio iure gentium.*
6 *Priuilegium hoc iure gentium constat, bellico scilicet seu militari.*
7 *Caussa huius priuilegii.*
8 *Comparare, quid hic significet, explicatur, & num. 10.*

9 *Rectoribus & magistratibus prouinciarum idem priuilegium irrogatum est.*
11 *Comparatio alienationi opponitur.*
12 *Priuilegium hoc prohibitiuum est & militibus aduersum.*
13 *Quod miles rusticum tantum prædium comparare prohibeatur, probo.*
14 *Cur magistratibus pauciora quã militibus comparare permissum, ostendo.*
15 *Quid prouincia hoc loco sit, interpretor.*
16 *Italia quoq; & Roma prouinciæ dictæ.*
17 *Priuilegium hoc ad familiam & domesticos militum extenditur.*
18 *Miles non debet per appositam personam aliquid fraudulenter comparare.*
19 *Non licet, quod quis directe prohibetur oblique vel per cuniculos tentare.*
20 *Prohibitio extra personam & caussam prohibitionis non egreditur.*
21 *Milites in alia prouincia, quam vbi militant prædia comparare, vt domum quoque, non prohibentur.*
22 *Priuilegium hoc abrogari potest, vt milites comparare in prouincia possint.*
23 *Priuilegium hoc personale est, & ideo morte conditoris finitur.*
24 *Priuilegio huic renuntiari nequit.*
25 *Miles prædium comparans, pretium amittit, & prædium fisco defertur.*
26 *Casus quo miles prædium impune comparauit.*
27 *Quo delicto miles hoc priuilegio soluatur, ostensum.*
28 *Concursus huius priuilegii.*
29 *Cum bona paterna a fisco distrahuntur, miles filius ea emere potest.*
30 *Ius liberorum circa bona paterna.*
31 *Legitimam pater filiis auferre nequit, licet Deo piisue caussis consecrare velit.*
32 *In eorum, qui maiestatis damnati sunt bonis, liberi fiscum præcedunt.*
33 *Ius & ratio naturalis hoc iubent, vt a parentibus relicta filiis vindicentur.*
34 *Agrum, quem quis in militia emit, nec super eo delatus est, impletis stipendiis, aut caussaria missus, retinere potest.*
35 *Miles accepta missione soluitur priuilegio.*

PEr diuersas iam iuris materias ac titulos priuilegiis militum ordine perquisitis, ad emtiones & venditiones accedemus. In hoc
1 genere priuilegium inuenitur, quo milites † in prouincia, in qua militant

militant seu bellica opera peragunt, prædium rusticum comparare prohibentur, *l. milites prohibentur, 9. l. milites agrum, 13. ff. de re militari, l. qui officii, 62 ff. de contrahen. emt.* quamuis emtionis † contractus 2
iuris gentium, *l. 1. §. vlt. ff. d. tit. l. ex hoc, 5. ff. de iustit. & iure, Institut. de iure naturali, &c. §. ius autem gentium,* & proinde omnibus hominibus permissus esse videatur. Ius enim † gentium omni humano ge- 3
neri commune est, *Instit. d. tit. & §.* & ratione naturali inter omneis homines peræque seruandum, *l. 1. in princip. ff. de acquirendo rerum domin.* Qua caussa idem cum iure naturali ius gentium esse videtur, *d. l. 1. ibi, ratione naturali, l. vt vim, 3. ff. de iustitia & iure.* Quod cum ita † sit, ac ius naturale ac gentium immobile ac perpetuum esse, & 4
quod contra hoc introductum est ipso iure nullum esse videatur, *l. fin. C. de incestis & inutil. nupt. l. legem, 7. C. de natural. liber. clement. 1. de testib. clement. pastoralis, de sentent. & re iudic.* priuilegium quoque præsens nullum, & ab eo introductum videtur, qui ius naturale & gentium nec condere nec abrogare potest. Priuilegium autem ab eo introductum, qui ius commune in potestate non habet, nullum esse *lib. 1. de priuileg. iur. ciuil.* demonstrauimus. Veruntamen ius quidem gentium, & inprimis naturale (illud non vsquequaque integrum est incorruptumve) immutabile atque æternum esse haudquaquam nego: totum item ac penitus abrogari & tolli, nisi ab eo, qui condidit, non posse affirmo. Interim † in certis quandoque & 5
singularibus caussis corrigi idem, limitari, suspendi, certum est, eamque potestatem non conditori tantum iuris illius, sed inferiori quoque iudici, qui tamen iudicandi ex eo officium habet datam *d. l. 1.* ostensum est: ita hoc tamen, vt ius quidem naturale alio iure naturali, ius gentium alio iure gentium vel naturali, interpretetur ac limitet: adeo vt sententia non tam ex iudicis inferioris, quam ipsius conditoris atque inuentoris ore fluxisse videatur. Interpretatio vero illa non extrinsecus afferenda, sed ex ipso iure naturæ vel gentium sumenda: vt *lib. 1. de priuileg. iuris ciuil. cap. 8.* pluribus declaratum. Quare, vt ad propositum reuertamur, emtionem quidem iure gentium introductam constat: Sed & † præsens priuilegium 6
iure gentium, & quidem æque valido, imo plerisque in casibus validiore nititur. Ius hoc, de quo loquor, belli est: quod quam violentum, quamque nullius alterius iuris vigorem aut vim exerceri patiatur, non ignotum est. Silent enim inter arma leges. Itaque & emtionis ius, ob belli ius disciplinamque militarem tanto ac-

NN

curatius seueriusque custodiendum, certo in casu interquiescere debet.

7 Caussam † huius priuilegii exprimit *l. milites agrum, 13. in princ. ff. de re milit.* ne studio culturæ militia sua auocentur. Ob quam caussam conductores quoque rerum alienarum, fideiussores, procuratores, mandatores fieri prohibentur, *l. milites nostros, 31. & l. fin. C. de locato*, nec agrorum cultui aut mercimoniis se dare possunt, *l. milites 15. C. de re milit. lib. 12.* ne videlicet omisso armorum vsu, & relictis studiis publicis signisque victricibus, ad opus rurestre se conferant. Armis autem non priuatis negotiis, occupentur: vt numeris & signis suis iugiter inhærentes, Rempublicam a qua aluntur ab omni bellorum necessitate defendant. In quam sententiam Socrates quoque apud Platonem *lib. 3. de Republ. in fin.* milites proprium possidere non vult, ita pulcerrime sanciens: Ὁπότε δ᾽ αὐτοὶ γῆν τε ἰδίαν καὶ οἰκίας καὶ νομίσματα κλήσονται, οἰκονόμοι μὲν καὶ γεωργοὶ ἀντὶ φυλάκων ἔσονται, δεσπόται δ᾽ ἐχθροὶ, ἀντὶ συμμάχων, τῶν ἄλλων πολιτῶν γενήσονται. μισοῦντες δὲ δὴ καὶ μισούμενοι, καὶ ἐπιβουλεύοντες καὶ ἐπιβουλευόμενοι, διάξουσι πάντα τὸν βίον, πολὺ πλείω καὶ μᾶλλον δεδιότες τοὺς ἔνδον ἢ τοὺς ἔξωθεν πολεμίους, θέοντες ἤδη τότε ἐγγύτατα ὀλέθρου, αὐτοί τε καὶ ἡ ἄλλη πόλις, hoc est: *Quando vero illi (milites) agros proprios aut domos aut pecunias possidebunt, patres quidem familiarũ & agricultores pro custodibus erunt, domini autem & hostes reliquorum ciuium pro commilitonibus. Atq; ita infesti pariter & inuisi, insidias molientes patientesque, omnem vitam agent, plusque semper veriti suos quam externos hostes, præcipites tam ipsi quam reliqua ciuitas ad exitium ruent.*

Nunc de interpretatione & sensu huius priuilegii nonnihil di-
8 cendum. Primo enim † cum comparare prædia militibus sit interdictum, quid verbo *comparationis* denotetur, quærendum. *Comparare* igitur vulgatissimo quidem legum vsu idem quod *Emere* significat: vt *in l. si curator, 3. C. arbit. tutelæ, l. cum ipse tutor, 5. l. inuitum, 11. C. de contrahend. emt. l. 1. C. de capiend. & distrah. pig. lib. 10. l. 1. C. vt nemini liceat in emt. spec. se exc. lib. eod. l. 1. in princ. C. quib. muner. excus. d. l. 6. l. eum qui, 3. C. de auct. præst. & simil.* Et inprimis cum de prædiis agitur hoc verbum Latinis vsurpari solet. Vnde Cato *de re rustica: Prædium cum comparare cogitabis, sic habeto.* E quibus, quando comparare milites prædia prohibentur, emere eos prohiberi nullum dubium est. Illud magis in controuersiam vocari potest, cum plerasq; leges verbo *comparationis* emtionem denotare liquidum sit, vtrum hoc priuilegio milites emere tantum prohibeantur, alio vero modo adquirere

quirere vtique possint. Nec leue, vt id affirmandum videatur momentum facit *d. l. milites, 9. ff. de re mil.* quæ cum initio dixisset, *Milites prohibentur prædia comparare, &c.* mox subiicit, *sed & stipendiis impletis emere permittuntur:* explicans, quasi posteriore verbo præcedẽs. Ego vero, saluo aliorum iudicio, non emere tantũ prædia militibus, sed donationis quoque, permutationis, aut quocunq; alio titulo adquirere, interdictum aio. Nam primo, quæ ratio emere milites, eadem donationis, permutationis, transactionis, aut alio quouis titulo cõparare vetat. Tam enim, q; donatione aut alio modo adquisitũ est prædium, quam quod emtum, a militia auocare potest. Ex ratione igitur priuilegii huius optima eius interpretatio elicietur. Accedunt illæ † leges & rationes, quæ rectoribus & magistratibus prouinciarum idem priuilegium irrogarunt. Hæ quidem expresse quocunque titulo istos aliquid a prouincialibus comparare nolunt. Quamuis enim *l. penult. C. de his quæ vi metusve causs. l. vlt. C. de rescinden. vendit. l. non licet, 46. ff. de contrahend. emtione,* emtionis tantum faciant mentionem: & *l. qui officii, 62. d. tit. vt & l. aufertur, 46. §. 2. ff. de iure fisci,* comparationis: aliæ tamen expresse alios quoque hisce titulos eripiunt: *facit l. plebiscito, 18. ff. de officio præsidis, l. vnica, C. de contract. iudic. authent. vt iudices sine quoquo suffrag. fiant, in princ. & cap. 1.* Firmissime igitur ab his ad milites argumentamur. Eadem enim lege idem vtrisque priuilegium irrogatur. Sic enim *d. l. qui officii. Qui officii,* inquit, *caussa in prouincia agit vel militat, prædia comparare in eadem prouincia non potest.* Idem verbum *Comparare* de vtrisque pronuntiatur. Eandem igitur vtrobique significationem obtinere necesse est. Iam circa magistratus notum est, non emtionem id solum, sed quamcunque adquisitionem notare. Ergo & circa milites. 9

Verbum † igitur *Comparare* sua natura, vt quiuis intelligit, nec emtionem, nec aliud in specie, sed indifferenter adquisitionem significat. Ergo vbi lex distinguit, nec nos distinguere debemus, *l. de pretio, 8. ff. de Public. l. præses, 3. ff. de officio præsidis.* Et cum id verbum generatim nec ad certam speciem applicatum ponatur, generatim etiam & indistincte de quacunque adquisitione accipiendum est. Nam quod *l. milites,* id verbum emtioni adstringere, vt prius dictum, videtur: infirmissima ratio est. Notum enim est, persæpe legumlatores & rerũ scriptores, posita generali lege vel sentẽtia, post de specie aut parte aliqua agere. Nec positio speciei genus 10

NN 2

excludit, sed secum potius infert, *facit l. pediculis, 32. §. Labeo, ff. de auro & argento legato.* Itaque contraria potius sententia illa lege firmatur. Nam cum paulo post verbum *Emere* vsurpet, at in ipsa lege serunda (vbi maxime propria & idonea verba adhiberi solent ac debent) non *Emtionis*, sed *Comparationis* verbo vtatur: ideo hoc non dubie fecit, vt non emtio tantum, sed quæuis comparatio siue adquisitio eis interdicta videatur. At cum *in d. l. milites prohibentur, d. l. milites agrum, d. l. qui officii*, toties ingeminet repetatque verbum *Comparare*, vix semel emtionem attingat, non male colligitur, plus quam emtionem eum prohibere voluisse. Vtique enim potius & sæpius verbo emtionis vsus fuisset. Quare, vt absurdus sit, qui *ex leg. non licet, & similibus*, quæ emtionem tantum magistratibus interdicere videntur, illas quoque leges, quæ comparationem eis interdicunt, de sola emtione loqui argumentetur: (aliis enim legibus coargueretur) ita hoc quoque in casu ineptus sit, qui verbum *Comparationis* ideo de emtione tantum intelligendum dicat, quia aliquoties *comparare* idem quod *emere* significare inuenitur. Repeto enim, quod prius dixi, non communi solum vsu Latinæ linguæ, sed legibus quoque, *Comparare* idem esse, quod *adquirere*, seu emtionis id seu quouis alio titulo fiat, *facit l. nec si volens, 6. ibi præ-*
11 *iudicium iuri tuo comparasses, C. de liberali caussa.* Sic † verbo *Alienationis* id opponitur *in l. 2. C. ne rei dominicæ, &c.* Vnde vides, vt emtioni venditionem, sic comparationi alienationem relatam esse: & vt hæc non venditionem, sed donationem quoque & alios titulos, sic illam non emtionem tantum, sed plura amplexu suæ significationis coercere. Eadem alienationis cum comparatione relatio legitur *in l. & qui sub imagine, 10. C. de distract. pignor.* Ita *in d. l. aufertur, 46. §. 2. ff. de iure fisc.* comparatio cum contractu coniuncta inuenitur. Quas ob res cum verbum hoc generale esse pateat, idque indistincte leges, quæ hoc priuilegium sanciunt, vsurpent: merito vbi lex
12 non distinguit, nec nos distinguere debemus. Tanto † id magis, quoniam hoc priuilegium prohibet, & ideo hoc in casu militum caussa odiosa nonnihil inuenitur. Quod vel inde apparet, quod emto ab milite prædio, non contractus irritus euadit (id enim fortasse suffecisset, ne agricultura miles militia auocaretur) sed fisco p̄dium vindicatur: itaq; & pretium & prędium militi perit. Sic igitur illud interpretari oportet, vt quam maxime propositum suum finemque, quem petit & cuius gratia latum est, assequatur.

Quid

Quid autem † comparare milites prohibeantur, quæris? Sane *d. l. milites prohibentur, & d. l. qui officij,* indistincte prædium comparare vetant. Et magistratus ac præsides prouinciarum, quibus item prædiorum comparatio interdicitur, nec immobiles, nec mobiles res comparare, *dict. l. plebiscito, 18. de officio præs. leg. final. Codic. de rescind. vend. l. vnica, C. de contract. iudicum*, neque domum aut nauem in prouincia exstruere possunt, *d. l. vnica, & d. l. aufertur*, §. 2. Sed militum priuilegium explicat atque distinguit *dict. l. milites agrum*, & expresse rusticum tantum prædium eis comparare nefas ait; *Milites*, inquiens, *agrum comparare in ea prouincia, in qua bellica opera peragunt, prohibentur: scilicet, ne studio culturæ militia sua auocentur: & ideo domum comparare non prohibentur.* Hanc vltimam clausulam alias deesse Accursius ait, & pro eo facere *leg. vnicam, Codic. de contract. iudic.* Vnde censere ille videtur, etiam vrbani prædii comparationem illis interdictam. Sed præterquam quod clausulam illam in nullo abesse libro vidi, ipsa eo verba præcedentia ducunt; cum aperte agrum comparare prohibent, idque ideo ne studio culturæ milites auocentur, nec agri itaque vocabulo domus, nec ratione subiecta, demonstratur. Nam ex *leg. vnica, Codic. de contract. iudic. & simil.* quæ Magistratibus ac Rectoribus prouinciarum rerum comparationem interdicunt, non prædia tantum rustica & vrbana, sed omneis res tam mobiles quam immobiles a militibus comparari nequire sequeretur. Magistratibus enim hæc interdici ex dictis legibus manifestum est: quorum tamen longe strictius ac seuerius esse priuilegium quam præsens hoc, vnusquisque facile perspiciet, qui leges priuilegium vtrumque promulganteis inter se conferre ac comparare volet. Nam & † rationes maiores circa magistratus & iudices, ob quas manus eorum auaritiamque ligare & coercere necesse est, occurrunt, quam circa milites. Hi enim in proximo præfectos suos, tribunos, magistros habent, a quibus etiam sine legibus coerceri & ab alienis negotiis reuocari possunt: illi vero cum Imperio ipsi ac potestate sunt, & raro in propinquo potestatem maiorem, adeoque multas peccandi occasiones habent: quas abscindere, quoad eius fieri potest, oportet. Prædium igitur milites cum comparare prohibentur, rusticum intelligendum. Nam & *l. milites, 15. C. de re militari*, disertis verbis, agrorum cultui milites insudare vetat.

Margin numbers: 13 (beside first line), 14 (beside "conferre ac comparare volet").

Tertia quoque non est omittenda quæstio, quæ ex eodem priui-

legio mouetur. In prouincia enim comparrre prædia vetat. Quid
15 prouincia † hic sit, & inprimis, an si in patria militet, in eadem comparare fas non sit, quæritur. Ac prouincias quidem, quod procul ab Italia armis victæ, dictas notum est. Sic igitur Italiam a prouinciarum numero excipi patet. Roma certe, vt sedes Imperij, excipitur, *l. ex omnibus, 10. cum duabus sequentibus, ff. de offic. præsid. l. final. Cod. de ædific. priuat.* Vnde milites quoque, siquidem in Italia & Romæ, hoc est, vbi sedes Imperij est, militent, comparare prædia posse videntur. Imo cum illo tempore sedes Imperii eadem cum patria militum fuerit, omnes in patria militantes comparare ibidem prædia posse videntur. Verum enimuero cũ eadem ratio, quæ in prouinciis milites comparare vetat, in patria quoque obtineat, legislatorem de prouincia loquentem, nec Imperialem, nem patriam, nec vllam prouinciam excepisse videtur. Ait enim, *In prouincia in qua militant, &c.* Nec tam in prouinciæ vocabulo vim aliquam & effectum quærit, quam in militia. Indistincte enim de loco (qualis qualis sit ille) in in quo militant loqui videtur. Quod & maxime ex dict. *l. milites, ff. de re militari, & dict. l. qui officii, ff. de contrah. emt.* argui verisimiliter potest. Nam cum ibi in prouincia comparare prædia nefas pronuntiasset, mox subdit exceptionem: *præterquam si paterna eius a fisco distrahantur.* Vbi autem paterna bona sunt nisi in patria? Recte igitur nec patriam nec locum vllum exemtum dicimus. Sic magistratus seu iudices, qui prædia comparare, vt toties dictum est, in prouinciis prohibentur, in vrbe etiam imperiali comparare vetantur, *d. l. vnica, C. de contractib. iudic.* Sic absens Reipubl. caussa ille quoq; videtur, & priuilegio absentiæ gaudet, qui Romæ militat, *l. milites plane, 7. ff. ex quibus caussis maiores, &c.* Huc pertinet *l. vlt. C. de crimin. sacrileg.* sacrilegii reum pronuntians eum, qui administrationis gerendæ ac suscipiendæ officiũ intra eã prouinciam, in qua prouincialis & ciuis habetur, desiderauerit. Quod idem in apparitoribus & similibus sancit *l. 3. C. de diuers. offic. & apparit. iudic. libr. 12.* Ita qui in prouincia sua adsidere sine permissu Principis volet, crimen admittit, *l. si cui. 38. in princ. ff. ex quibus*
16 *caussis maior. l. in consiliariis, 10. C. de adsessor.* Atq; adeo † Italiam quoque & Romam prouinciæ nomine quandoq; appellari solitam, docent *l. insulæ, 9. C. de iudic. & l. abesse Reipubl. caussa, 32. ff. ex quibus caussis maior. &c. expresse l. vnica, §. penult. ff. de officio præf. vrbi.* Et multoties T. Liuius in annalibus, quando de prouinciarũ sortitione loquitur, Italiam

Italiam comprehendit. Notumque est, vrbanam prouinciam dici solitam & vrbanum prætorem: de quo dict. *l. vnica*, §. *penult.* & Cicero in Frumentar. *Sortem*, ait, *nactus est vrbanæ prouinciæ.* Idque affirmat etiam *l. potioris*, 5. *Codic. de officio Rectoris prouinciæ:* quæ lex cum ad Apronianum præfectum vrbi dirigatur, sub titulo tamen de Rectore prouinciæ inserta legitur. Vbicunque igitur, siue in patria milites siue extra eam militauerint, prædia comparare prohibentur. Hæc, vt rectius præsens priuilegium ambiguis nonnihil propositum verbis intelligeretur, paulo pluribus dicēda fuerunt. Cetera iam strictius percurram.

Dico autem † priuilegium hoc ad familiam quoque & domesticos militum extendi. Quod probat tum illa, quibus *in libro 1. de priuileg. iuris ciuilis* priuilegia ad vxores quoque & familiam priuilegiarii pertingere ostendi, tum vero etiam dict. *leg. vnica*, *in fine*, *Codic. de contract. iudic. l. penultim. Codic. de his*, *quæ vi metusue*, *leg. eos*, *qui*, 3. *Codic. si certum petatur.* Item † ad illum quoque casum eadem prohibitio porrigitur, cum per suppositam personam emere quid aut comparare milites fraudulenter nituntur: *fac. dictæ leges*, *& l. aufertur*, 46. §. 2. *ff. de iure fisci.* Omneis enim hosce casus ratio atque propositum huius priuilegij excludit. Nam quod quis per suos agit, per se agere videtur. Nec † licet quod directe prohibetur & aperte, oblique vel per cuniculos tentare, *leg. cetera*, 41. §. *si duobus*, *de legat.* 1. *l. ait prætor*, 7. §. *quid sit autem*, *ff. de iure deliber. l. scire oportet*, 21. §. 1. *ibi*, *vt non alia via hoc*, *quod noluit testatrix fiat*, *ff. de tutor. & cur. datis ab his*, *&c. leg. creditor*, 20. *Cod. de donatione inter virum & vxorem*, *l.* 1. *Codic. si mancipium ita veni. ne prostituatur.* Ad hæc priuilegium quoduis ita interpretari debemus, vt quam maxime finem ac propositum suum assequatur. Quod fieri nequit, si quod ipsis militibus non licet, domesticis eorum & familiæ licet. Veruntamen, quod sæpius repetitum est, vt neque nimium prohibitionem hanc extendamus curandum est. Prohibitio † enim quæcunque extra personam & caussam prohibitionis non egreditur, *l. et si is*, 9. *C. de præd. minorum sine decreto non ali.* Itaque † in alia prouincia, quam vbi militant prædia comparare non prohibentur, d. *leg. milites agrum*, *in princip.*

17 18 19 20 21

Iam quomodo hoc priuilegiū suspendi aut abrogari soleat, breuiter videamus. Ac † primo ab conditore illud posse abrogari, sic vt 22
militib. cōparare atq; emere in prouinciis liceat, docet *l. nō licet*, 46.

in fine, ff. de contrah. emt. l. vnica, in princip. C. de contractibus iudic. dict. l. milites, 9. ff. de re milit. Et probant idem omnia illa, quibus *libr. 3. de priuileg. iuris ciuilis*, in vniuersum priuilegiorum abrogationem in conditoris sui manu ac arbitrio positam ostendi. Repugnare nonnihil videtur *dict. lex vnica, in §. prouincias, ibi, licet sacri apices aliquid eorum permiserint.* Sed cum in eiusdem legis principio omnino contraria sententia feratur: id penitus secundum ea quæ *libr. 1. de priuileg cap. 5.* de impetratione priuilegiorum monuimus, accipiendum est. Quin si omnia expendas, *dict. §. prouincias*, de eo tantum casu loqui videtur, vbi simpliciter ac sine mentione priuilegij huius contra id aliquid fieri permittitur. Loquitur enim de valde leui & infirma concessione, cum ait: *Licet sacri apices aliquid eorum permiserint.* Id enim tum facile per obreptionem impetratũ, & imprudente Principe concessum habetur. At principium d. legis de solemni ac consulta priuilegij huius abrogatione agit: cum, *Nisi*, inquit, *specialem nostri numinis hoc eis permittentem diuinam rescriptionẽ meruerint.*

23 Morte autem † priuilegiarii priuilegium hoc finem, vt personale, accipere dico. Equidem confirmari potius morte aut continuari videtur, cum post mortẽ eius æque contrahere prohibeatur, atq; ante mortem. Verum si proprie & ex caussa sua quoduis æstimare velis, post mortem non priuilegio vel iure speciali istos, sed iure cõmuni ac naturali prohiberi intelliges. Priuilegium igitur hoc cum persona exstinguitur. Nec enim vel filius militis vel heres eod. priuilegio milite mortuo ligatur.

24 Renuntiatio † vero circa hoc priuilegium locum non habet. Vt enim dictum est, priuilegium hoc non tam militum, quam militaris disciplinæ atq; officii caussa natum est, *fac. dict. l. milites agrum, in princ. & §. 1. ibi, contra disciplinam.* Iam iuri alterius neminem renuntiare posse constat. Neq; huic igitur iuri renuntiari potest. Quare
25 si miles † contra hoc priuilegium prædium comparasse delatus fuerit, fisco prædium vendicatur, *dict. l. milites prohibentur, 9. in princip. & dict. l. milites agrum, in principio, ff. de re milit. dict. l. milites, 15. l. sequent. Codic. eodem tit.* Ceterum quod supra dixi, posse quandoque iuri suo, quod cum alterius iure cohæret renuntiari, si id sine præ-
26 iudicio eius fieri possit, id hic quoque seruari puto. Nam † si quis contra prohibitionem huius priuilegii disciplinæque militaris agrum comparauerit, nec vlla de ea re quæstione mota vel delatione facta stipendia impleuerit, aut missionem honeste acceperit, inquie-

inquietari in reliquum prohibetur, dd. ll. Ideo videlicet, quia hoc tanquam tacito permissu & consensu superioris ipsiusque disciplinæ fecisse intelligitur, *fac. d. l. milites agrum*, §. *illud constat, ibi, præmij loco veteranis concessum intelligitur.* Simul (qui finis fuit huius prohibitionis) prædio emto a militia se nõ auocari passum, nec cuiquam grauem fuisse, præsumtio est, qui toto militiæ tempore nec delatus eo nomine nec suspectus euasit.

Delicto vero hoc † priuilegio militem solui, si tale admittat, quo 27
ex numeris eiectus ac deletus, nomine ac iure militari spoliatur, indubium esse puto, *fac. d. l. militares, 16. C. de re milit. libr. 12.* Aliis vero delictis, quæ militem esse patiuntur, priuilegium minime tollitur. Quamdiu enim miles est, disciplinę militari, cuius hoc priuilegium pars est, subiectus censetur.

Concursu † cum aliis priuilegiis præsens quandoque elidi cer- 28
tum est. Quod quando fiat, ex finali potissimum huius priuilegii caussa æstimandum. Veluti cum bona † paterna a fisco distrahun- 29
tur, miles filius ea emere potest, *dict. l. milites prohibentur, dict. leg. qui officij.* Magnum † quippe in bonis paternis liberi ius habere solent, 30
adeo vt etiam sacrarum aut piarum caussarum iuri quandoq; præferantur. Legitimam enim † pater filiis adimere nequit, licet Deo 31
piisue caussis consecrare velit, *authent. si qua mulier, Cod. de sacrosanct. Ecclesiis.* Ita in † eorum qui maiestatis crimine damnati sunt bonis, 32
liberi fiscum præcedunt, *l. antepenult. ff. ad leg. Iul. maiest.* Ius † enim 33
& ratio naturalis hoc iubent, vt a parentibus relicta filiis vendicentur, *fac. l. 1. §. ius naturale. ff. de iustitia & iure.* Quod cum ita sit, merito hac in parte militaris disciplina cedit, ne liberis propter nimiam seueritatem eripiatur, quod ius naturæ ac gentium eis dedit. Priuilegio etiam † veteranorum & eorum, qui caussaria missi sunt, i- 34
dem priuilegium cedit. Id est autem, quod agrum, quem quis in militia emit, nec super eo delatus est, impletis stipendiis, aut caussaria missus, retinere potest: cum his, qui ignominia missi sunt adimatur, dictis legibus. Caussa est, quoniam, vt prius dixi, consensu hoc & speciali permissione superioris factum videtur.

Denique vero † ratione subiecti proprii ac naturæ suæ priuile- 35
gium præsens finem accipere constat. Impositum est namque militibus, quatenus sunt milites. Vnde quatenus militare desinunt, quod missione fieri constat, priuilegio quoque præsenti soluuntur. Ita qui stipendia impleruntur, emere permittuntur, *dict. leg.*

milites prohibentur, in princ. Et vniuerse qui missione accepta miles esse desinit, hoc priuilegio comparare sibi non prohibetur, *dict. l. milites agrum.*

PRIVILEGIVM X.

Miles ob omissas professiones in pœnam commissi non incidit.

EPITOMA.

1 *De iure communi non professus pœna commissi tenetur.*
2 *Miles tamen ob amissas professiones non tenetur, dum postea portorium soluat.*
3 *Hoc priuilegium omnibus militibus conuenit.*
4 *Caussa eiusdem.*
5 *Strictius accipiendum priuilegium, ne ius publicum lædatur.*
6 *Reale sit hoc priuilegium, an personale, quæritur.*
7 *An ius publicum hoc priuilegio cedat, ostensum.*

1 PRiuilegium hoc circa vectigalia pœnamque commissi versatur. Etenim cum † de iure communi ob omissas professiones in pœnam commissi aliquis cadat, hoc est, rerum illarum, quas apud publicanum professus non est, amissione puniatur, *tot. titul. Codic. de vectigalibus & commissis, & ff. de publicanis & vectigalibus.* Adeo vt quod hoc modo commissum est, statim desinat eius esse qui crimen contraxit, *l. commissa, 14. ff. dict. titul.* & proinde fraudati vectigalis crimen ad heredem eius, qui fraudem commisit, imo quemlibet possessorem transmittatur, *dict. l. commissa, 14. l. fraudati, 8. ff. dict. titul.* nec ignorantia quenquam excuset, *l. interdum, 16. §. licet quis, & §.*
2 *Diui quoque fratres, ff. dict. tit.* Militibus † tamen, ne ob omissas professiones pœna commissa teneantur, hoc priuilegio Imperat. prospexit, *l. 3. Codic. de vectigal.* dummodo vel postea, si quæ portoria
3 eos debere apparuerit, exsoluant, *dict. l. 3.* Hoc † priuilegium omnibus militibus, etiam non in castris & expeditionis actu versantibus, dummodo milites in numeris exsistant, competere docet *l. ex præstatione, 7. C. de vectigal. cum simil.* quæ de militibus commercia & priuata negotia agentibus loquuntur.
4 Huic priuilegio † fauorem aduersus milites caussam dedisse, ex dict. leg. 3. colligere licet. Ibi namque: *Omnibus militibus nostris,* inquit,

inquit Imperator, *prospeximus, ne ob omissas professiones pœna commissi tenerentur.*

Ceterum quãuis † fauoris & curæ erga militares homines caussa id introductum appareat, tamen quia in præiudicium cedit fisci iurisq; publici, strictius illud & arctius accipiendum opinor, vt quantum fieri potest minimum ius publicum lædatur. Hinc enim pœna quidem commissi miles non tenetur, a præstatione autem vectigalium minime liberatur, *d. l. 3. d. l. ex præstatione.* 5

Hoc priuilegium † reale sit, an personale, quæri potest. Et reale videtur, quoniam ius commune reale esse videtur. Res enim quas quis professus non est, in commissum incidunt: & proinde harum tam aduersus heredem quam aduersus quemlibet persecutio competit, *d. l. fraudati, §. d. l. commissa, 14.* Sed neque ius commune omnimodo reale dici posse puto, cum sit pœnæ magis quã rei persecutio, *l. vlt. §. pen. ff. de publ.* & ideo, si non est quæstio mota viuo eo, qui deliquit, pœna cõmissi ab heredibus peti nequit, *d. l.* Vnde manifestissimum puto, ius quoq; commune personale esse, nec cum re transire, nisi illo casu, quo iam quæstio viuo eo mota est, a quo pœna commissi petitur. Si enim cum re transiret, & rei potius esset, quam pœnæ persecutio, in rem ipsam, quamdiu & vbi exsisteret, impetus fieret. Quare cum ius commune reale non sit, multo minus singulare ius erit. Huic enim omnino non res, quæ in commissum incidit, sed persona militis caussam dedit. Eadem enim res, si quis paganus eam professus non fuisset, in commissum vtiq; incidisset. Nunc quia miles professus non est, non incidit. Atq; hic ex iure communi interpretatio sumenda, (quod fieri quandoq; debere *lib. 2. de priuileg. iur. ciuil. c. 3. num. 41.* ostendi) sic nimirum, vt nec heres militis, qui professus non est, ob id militis factum pœna commissi teneatur, dum portorium soluat. Ipsum priuilegiũ non transit ad heredem, adeo, vt & heres non professus impune ferat, sed factũ tantum militis, quia ipsi non obfuit, nec heredi obesse potest. Ita ius personale, & tamen ad heredem vel possessorem ex persona militis transire, intelligis. 6

Vim igitur effectumque huius priuilegii & totius iuris militaris non leuem esse hoc exemplo docemur, cum ius † quoque publicũ, quod alias tantæ est auctoritatis ac roboris, hic eidem concedere nonnihil videamus. Quod si tamen ideo aliquis ius militare omnino & vndiquaque præualere publico argumentari velit, 7

vehementer errauerit. Nec enim omnino etiam in hoc casu (omitto alios) ius publicum cedit. Vtiq; enim quod publice debetur, miles soluere tenetur. Tantum vero circa pœnam mitigatio quædam & dilatio concessa est. Hæc breuiter de isto priuilegio monere visum est. Nam de ceteris nihil inuenio legibus expressum: & sunt omnia, quantum mea fert sententia, supra traditis regulis doctrinaque comprehensa.

PRIVILEGIVM XI.

Milites conductores alienarum rerum, procuratores, fideiussores, vel mandatores conductorum fieri prohibentur.

EPITOMA.

1 *Priuilegii huius summa.*
2 *Caussæ eiusdem.*
3 *Miles ab iniuriis suorum abstineat.*
4 *Auctor priuilegij inquiritur.*
5 *Hoc priuilegium ad omneis omnino milites pertinet.*
6 *Sed tamen ad armatos solum.*
7 *Cuius rei conductores esse prohibentur milites, explicatur.*
8 *Illæ tantum conductiones, quæ procurationis atq; administrationis caussa fiunt, prohibitæ sunt, quæ autem vsus necessarij ergo fiunt, non prohibitæ sunt.*
9 *Potentioribus interdictum patrocinium litigantibus præstare.*
10 *Qui sponte se alienis litibus inseri patiuntur, velut famæ suæ prodigi & calumniarum redemtores notantur.*
11 *Cur comparare domum militi liceat, conducere non liceat, ratio datur.*
12 *Pœna in contemtores huius priuilegii lata.*
13 *Priuilegium hoc accurate seruandum.*

IN titulo de locato & conducto priuilegium occurrit militare, quo (cum alias locationis & conductionis contractus omnib. qui eo vti volunt, pateat, vt ex *l.3.l.6.l.ne cui,32 & tot.tit.C.& ff.de locato &*
1 *conducto.* & ipsa natura eius manifestũ) milites † ab omni cõductione alienarum rerũ temperare iubentur, procuratores, fideiussores, vel mandatores conductorum fieri prohibentur, *l.milites,31. l.final,*

C.de

C. de locato, l. si ignorans, 10. ff. eod. l. vnica, C. in quibus causs. milit. fori præ- script. vti non poss. facit l. nemo miles, 13. l. milites, 15. cum. l. seq. C. de re mili. lib. 12. Hoc priuilegium nonnihil affinitatis habet cum Nono. Itaq; in multis idem de vtroque iudicium est. Caussam quoque fere eandem habet. Nam & hoc præsens prohibitorium est, ideoque introductum, † ne omisso armorum vsu ad opus rurestre se conferant, 2
&(quæ altera est huius caussa) vicinis graues præsumtione cinguli militaris exsistant. Armis autem, non priuatis negotiis, occupentur, vt numeris & signis suis iugiter inhærentes, Rempublicam a qua aluntur ab omni bellorum necessitate defendant, *d. l. milites, 31.* Quod repetit *d. l. fin.* interdicens militibus ad huiusmodi sordida venire ministeria, & relictis studiis publicis, signisque victricibus, armorum atrocitatem non in hosteis ostendere, sed contra vicinos, & forsan etiam aduersus miseros colonos, quos procurandos susceperint, conuertere. Ab iniuriis † quippe prouincialiũ & ami- 3
corum, milites suos optimi quiq; Impp. & Duces summa seueritate coercuerunt. Et notum est Aureliani Imp. præceptum, quod est apud Vopiscum: *Si vis tribunus esse, imo si vis viuere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat. Vuam nullus auferat. segetem nemo deterat: oleum, sal, lignum, nemo exigat: annona sua contentus sit: de præda hostis non de lacrymis prouincialium habeat.* In quam sententiã & Aristot. *lib. 7. Polit.* τὴν τῶν πολεμικῶν ἄσκησιν, inquit, οὐ τούτου χάριν δεῖ μελετᾶν ἵνα καταδουλώσωνται τοὺς ἀναξίους, ἀλλ' ἵνα πρῶτον μὲν αὐτοὶ μὴ δουλεύσωσιν ἑτέροις· ἔπειτα, ὅπως ζητῶσι τὴν ἡγεμονίαν τῆς ὠφελείας ἕνεκα τῶν ἀρχομένων, ἀλλὰ μὴ πάντων δεσποτείας· τρίτον δὲ, τῷ δεσπόζειν τῶν ἀξίων δουλεύειν. Huc pertinet etiam *d. l. si ignorans, 50.* quæ militaris disciplinæ caussa factum priuilegium, non obscure arguit. Duplicem igitur huius priuilegii caussam esse sequitur, ne prouincialibus graues milites præsumtione sui cinguli exsistant, relictis studiis militaribus, priuatis & rurestribus negotiis occupentur.

De auctore † huius priuilegii primo parum certi quidquam, vt 4
in multis aliis constare opinor. Leonem sane Imperatorem præfert *d. l. milites, 31.* sed nec quis de Leonibus sanxerit exprimitur, & faciunt *in d. l. vnica, C. in quib. causs. militantes, &c.* Imperatores Theodosius & Valentinianus, & *in d. l. qui ignorans, 5.* Modestinus Iureconsultus eiusdem priuilegii mentionem, qui multis annis Leones antecesserunt. Nec vnum etiam, sed plures Principes id sanxisse, asserit *d. l. vlt. in princ.* Renouatorem tamen & confirmatorem, vt

omnium legum ac iurium, sic huius in specie habemus Imperato-
rem Iustinianum, vt *d.l.fin.* ad Senatum solemniter directa ac pro-
5 mulgata, docet. Qui autem † hoc priuilegio ligentur ac tenean-
tur, lex eadem docet, omnes nimirum, qui sub armis militant, siue
maiores, siue minores, tam qui sub excelsis magistris militum tole-
rare noscuntur militiam, quam qui in vndecim deuotissimis Scho-
lis taxati sunt, nec non ii, qui in diuersis optionibus fœderatorum
nomine sunt decorati: hoc est, omnes omnino milites, cuiuscun-
6 que gradus, conditionis, aut loci. Solos † item armatæ militiæ mi-
lites comprehendi hoc priuilegio, non manifesta solum dictarum
legum, sed & *d.l.vnic.C.in quib.caus.milit.&c.* euidenter ostendunt.
Interim vt recte ac penitus priuilegium hoc eiusque proposi-
7 tum intelligamus, necessarium est. Ac † primo cuius rei conducto-
res milites esse nefas sit, videamus. Indifferenter sane res alienas
conducere vetat *d.l.milites.* Sed quoniam subiicit, *Ne ad opus rurestre
se conferant:* colligit inde glossa, rusticarum tantum rerum condu-
ctionem prohiberi. Sicut & supra, rusticum prædium emere mi-
les prohibetur, vrbanum non prohibetur. Sed quoniam huius
priuilegii duplex est caussa, & altera quidem ad rustica tantum per-
tinere videtur, altera vero ad alia quoq; se manifeste extendit (nam
& in vrbanis prædiis ac possessionibus miles vicino grauis esse po-
test) interpretatio hæc minime locum habere potest. Vt omittam
quod hæc omnia *d. l. vlt.* expressius ac distinctius cauet, cum mili-
tem alienas possessiones ac domos conductionis titulo procuran-
dos suscipere vetat, tandemque ab omni alienarum rerum condu-
ctione temperare iubet. Melius mihi illa glossæ interpretatio pla-
cet, quæ militem stabulum pro equis suis, vel alia ad militiam fa-
cientia, domum item habitationis caussa, conducere posse affir-
mat. Ceterum cum, vt ostendimus, verbis legis vniuerse omnium
rerum conductionem prohibeant, vniuerse id accipiendum
censeo: sic tamen vt ratione finis & caussæ suæ, priuilegium idem
limitare possis aut extendere. Nam & illud est probe intelligen-
dum, qualis hic conductio prohibeatur. Id quod mihi maxime per-
spicue tradere videtur *d. l. vlt.* cum *Qui alienas possessiones vel domos,*
inquit, *conductionis titulo procurandos suscipiunt:* cum lo- didũ hoc mi-
nisterium vocat: cum colonos procurãdos suscipi, res alienas con-
ductionis titulo gubernari non vult: cum contractum hoc totũ ap-
8 pellat. Ex his † recte consideratis, non absolute nec protinus omnis

condu-

conductiones militibus hoc priuilegio interdici affirmo: sed illas tantum, quę procurationis atq; administrationis caussa fiunt prohibitas, quæ vsus autem necessarii ergo fiunt, non prohibitas asseuero. Nam & expresse de conductionis titulo lex loquitur, & tum tenor eius ac propositum, tum caussæ quoque, ad procurationes, administrationes, negotiorumq; gestiones referuntur. Nec enim ad opus rurestre se confert, nec sordidum ministerium suscipit, nec rem vllam curare aut gubernare præsumit, nec vicino aut cuiquam conductionis occasione grauis esse potest; qui domum, stabulum, aut simile, in suum aut suorum vsum conduxit. Quæ tamen omnia in eum competunt, qui non sua, sed alterius caussa conducit, & procurando res alterius aduersarium se vicinis, vel iis ipsis, quos procurandos suscepit, molestum facit. Hæc enim † de caussa 9
potentioribus patrocinium litigantibus præstare, vel actiones in se transferre; item potentiorum nomine titulos prædiis affigere, vel eorum nomina in litem prætendere, seuere cautum est in Cod. *tit. ne liceat potentiorib. &c. & tit. de his qui potentiorum nomine, &c.* Et † eos, 10
qui sponte se alienis litibus inseri patiuntur, cum his neque possessio neque proprietas competat, veluti famæ suæ prodigos, & calumniarum redemtores, notari iubet *l. vnica, C. d. tit.* Ex his quæ conducere miles & quatenus permittatur, vel non permittatur, facile iudicabitur. Quin & illius, quod alioquin mirari quis possit, ratio intelligitur, cur † comparare domum militi liceat, conducere non 11
liceat. Non enim debet cui quod maius est, licet, quod minus est nō licere, *l. 21. ff. de reg. iuris.* Apparet nimirum vsus proprii militem caussa tam comparare, q̄ conducere posse, *& fac. l. solent, 6. § vlt. ff. de off. procons. l. in quorum, 24. ff. de pignor.* at procurationis alienæ caussa nullo cum titulo militem quidquā suscipere posse. Omnino.n. milites suæ tantū professioni & publicæ disciplinæ studere, & suis quidem priuatis negotiis q̄ minimum fieri potest occupari, alienis aūt penitus abstinere Impp. volunt. Ideo tanta sub pœna hoc † eis in- 12
terdicit *d. l. fin.* Huius.n. priuilegii contemtorē, ex ipso cōtractu ab initio, sine aliquo facto, vel aliqua sentētia, cadere militia pronuntiat: & regressum ei ad pristinū gradū, tam ex beneficio imperiali, quam cōsensu & permissu iudicis, sub quo militiam sortiti sunt, negat: adeo vt dum alienas res conductionis titulo existimāt esse gubernandas, suas militias suamq; opinionem amittant ex militibus pagani, ex decoratis infames constituti. Ad hæc, ꝙ post huiusmo-

di conductionem a publico susceperint, hoc sine aliqua mora vel procrastinatione reddere compelluntur. Nec milites tantum, qui conducere præsumunt ad hunc modum plectuntur, sed illis quoque qui suas facultates eis ad conductionem permiserint, nulla exactio contra eos conceditur: vt qui alieni appetens militem procuratorem elegerit, & a suis cadat reditibus. Ad hæc omnibus copia datur apud competenteis iudices huius criminis reos accusare, vt qui in hac caussa delator exsistit laudandus magis, quam vituperandus intelligatur. Hæc priuilegii istius contemtores ex constitu-
13 tione Imperatoris Iustiniani mulcta manet. Quæ † insuper hoc priuilegium satis accurate seruandum, & quantum ad conductores milites stricte ac seuere accipiendum, hortantur. Et tantum de hoc monuisse sufficiat. Cetera partim ex his, quæ supra priuilegio Nono (cui hoc simile nonnihil esse dictum) docui, partim ex generalibus regulis discenda.

PRIVILEGIVM XII.

Militibus sine solemnitate contrahendi matrimonia permissa facultas.

EPITOMA.

1 *Illi tantum, qui in legitimo matrimonio suscepti sunt liberi, legitimi habentur.*
2 *Legitima matrimonia sunt, quæ obseruatis solemnitatibus præceptisque iuris contrahuntur.*
3 *Solemnia matrimoniorum.*
4 *Militibus sine aliqua solemnitate matrimoniorum libera cum ingenuis mulieribus contrahendi permissa facultas.*
5 *Caussa huius.*
6 *Hoc priuilegium ad ius commune redactum.*
7 *Matrimonia hodie solo consensu affectuque animi contrahuntur.*
8 *Publice hoc tamen fieri debet, non furtim & in angulis.*

QVædam militibus iure veteri, vt & aliis indulta priuilegia, hodie vel abrogata, vel ad ius commune redacta, inueniūtur. Illa quoque, ne quid iure desiderare possis, non prætermittenda, sed tangenda leuiter duxi. Ex horum numero præsens occurrit. De dignitate

gnitate enim & iuribus matrimonii alibi cognoſcere licet. Inter quæ præcipuum eſt, † quod illi ſoli, qui in legitimo matrimonio ſu- 1
ſcepti ſunt liberi, legitimi proprie habentur, extra concepti ac nati, niſi per ſubſequens matrimonium legitimi fiant, ſpurii & illegitimi reputentur, *facit authent. quibus modis naturales efficiant. legitimi, &c. col. 6. l. in concubinatu, ff. de concubinis, l. miles, 11. §. defuncto, 8. ff. ad legem Iul. de adult. l. filium, 6. de his qui ſui vel alieni iur. ſunt, l. quia ſemper, 5. ff. de in ius vocand. l. ſi vicinis, 9. l. imperialis, 23. C. de nuptiis, §. ſi aduerſus ea, Inſtit. eodem tit. cap. non omnis, 32. quæſt. 2.* Quamobrem † quoniam 2
antiqui ac potioris iuris eſſe videbatur, vt illa demum ac ſolum legitima & iuſta matrimonia eſſent, quæ obſeruatis ſolemnitatibus præceptiſque iuris contracta eſſent, *facit d. l. imperialis, 23. §. imo etiam illud, l. a caligato, 21. l. nec filium, 12. C. de nupt. § fin. Inſtit. eod. l. cum multæ, 20. C. de donat. ante nupt. & ſimilib.* (Solemnia † autem matrimo- 3
niorum ſunt, inſtrumentorum confectio, *l. 2. l. neque ſine, 13. C. de nuptiis*, & tabularum nuptialium, *d. l. ſi vicinis*, & vniuerſe ſcriptura, *d. l. neque ſine* Item, dotis collatio, *authent. ſed nouo, l. ſi donationum, 22. l. ſequent. l. ſi furioſi, 25 C. de nupt. l. Seia, penult. ff. de donat. inter virum & vxorem*, donatio ante ſeu propter nuptias, *d. l. ſi donationum, d. l. ſi furioſi, l. cum multæ, 10. C. de donat. ante nupt.* pompa & celebritas nuptiarum, *d. l. ſi donationum, l ſancimus, 24. C. d. tit.* deductio in domum mariti, *d. l. Seia, penult.* & ſimilia) militibus † tamen omnibus ſine aliqua 4
ſolemnitate matrimoniorũ libera cum ingenuis mulieribus contrahendi permittitur facultas, *d. l. a caligato, d. auth. quibus modis naturales, &c. §. illud quoque melius, verſic. quiſquis autem*, idque ideo, quia his † ciuilium cauſſarum ignorantia, & circa bella concupiſcentiæ 5
cauſſa eſt ſtudioſa, & iuſta, & laudabilis, *d. authent.* Hoc † autem pri- 6
uilegium hodie abrogatum, & ad ius generale redactum, ait Accurſ. *in d. l. a caligato.* Quod idem confirmat atque expreſſe ſancit Imperator, *in authent. maximis, C. de nupt.* Matrimonium enim † ho- 7
die ſolo conſenſu affectuque animi contrahitur, ac neque verba, neque ſcripturam, neque dotem, nec ante nuptias donationem, nec concubitum, nec pompam vel feſtiuitatem, nec deductionem in domum mariti requirit, *l. Seia, penult. ff. de donat. inter virum & vxorem, l. in copulandis, 8. l. ſeq. l. neque, 13. l. ſi donationum, 22. l. ſequenti: l. ſi quis, 26. C. de nuptiis, l. cum multæ, 20. C. de donat ante nupt. l. iubemus, 11. in princ. C. de repudiis, l. laudabile, 4. §. quotieſque, C. de aduocat. diuerſ. iudic. authentic. ſed nouo, C. de naturalibus liberis, 27. quæſt. 2. capit. 1. l. cum hic*

ſtatus.32 § ſi mulier,13 ff.de donat.inter virum & vxorem, d.authen.quibus modis naturales, &c. d. § illud quoque melius, in princ. Vnde in Authent. *vt liceat matri & auiæ, § quia vero legem, 4. Reliquos omneis,* ait Imperator,,*qui maximis dignitatibus decorati ſunt, cuiuſlibet ſint dignitatis & militiæ aut ſtudii, ſiquidem voluerint & potuerint, non prohibemus eos cum dotalibus inſtrumentis ducere vxores. Si autem etiam hoc non cuſtodierint, & ex ſolo affectu celebratas nuptias firmas eſſe ſancimus, & ex eis natos legitimos eſſe filios iubemus.* Ex quibus, iure communi omnibus contrahere ſine ſolemnibus matrimonia, præter paucos, qui priuilegio excipiuntur, permiſſum, plus quam manifeſtum eſſe, opi-
8 nor. Quod publice tamen, † non furtim & in angulis fieri debet, *l.vxor,7.C.de repudiis,cap.vlt. C.de clandeſtin.deſponſat. &c.* Hoc igitur non priuilegio, ſed iure communi milites habent. Quæ de hoc iure,ne ſingulare videatur, ſufficere puto. Non enim iura vniuerſalia, ſed ſingularia tantum (ex quibus hoc non eſſe oſtendimus) deſcribere propoſitum habemus.

PRIVILEGIVM XIII.

Vxor maritum in militia abſentem exſpectare tenetur, vſque dum certiſſimum habeat de morte illius nuntium.

EPITOMA.

1 *Summa priuilegii.*
2 *Olim quadriennium tantum vxor exſpectare tenebatur.*
3 *Poſtea decennium.*
4 *Tandem nullum tempus præfinitum eſt.*
5 *Cauſſa huius priuilegii.*
6 *De iure communi fœminæ, quam maritus deſeruit, nubere conſenſu magiſtratus licet.*
7 *Priuilegium hoc etiam alii iuſta de cauſſa abſentes habere videntur.*
8 *Hoc priuilegium iuſtis tantum & veris militibus patet.*

TErtium decimum militum priuilegium facio, quod eis cum o-
1 mnibus iuſta ex cauſſa abſentibus commune eſt, quo † vxor militem, in militia vel occaſione militiæ abſentem, exſpectare quouſque certiſſimum de morte eius nuntium habeat, tenetur: adeo vt ſi prius cum alio contrahat, adulterium commiſiſſe intelligatur, *authent.*

authentic. vt liceat matri & auiæ, §. *quod autem a nobis*, *cap. in præsentia, de sponsalib. c. dominus, de secund. nupt. c. cum per bellicam, 34. quæst. 1.* Sanxerat quidem † ante Iustinianum Constantinus Imperator, vt qua- 2
driennio solum vxor talem maritum exspectaret necessario, *l. vxor, 7. C. de repudiis.* Sed quoniam illa lex iniquior Iustiniano visa est, correxit † eam, ac pro quinquennio constituit decennium, §. *noui-* 3
mus, in authen. de nuptiis. Tandem vero, vt adhuc rem † melius ordi- 4
naret, sustinere vxores iussit, quantoscunque annos in expeditione manserit maritus, licet nec literas nec responsum ab eo acceperit, *d.* §. *quod autem*, id quod & Canones sequuntur.

Caussam † huius priuilegii idem Imperator *in d.* §. *nouimus*, il- 5
lam ponit, quoniam actibus bellicis occupato marito, vxoris priuationem inferre non est minor pœna, quam ab hostibus capi. Nam, quod DEVS coniunxit, homo separare non debet: & omni studio procurandum est, vt recipiat vnusquisque, quod suum est.

De iure autem † communi, si maritus temere absit, nec marita- 6
lem in vxorem affectum etiam requisitus ostendat, adeoq; omnino deserat eam, vxori nubere consensu magistratus licet, *d.* § *nouimus, ibi, ille vero aut aperte renuat nuptias eius, aut absolute corbicat. Paul. Apostolus 1. Corinth. 7. Si incredulus discedit, discedat. Non est seruituti subiectus frater aut soror in eiusmodi. Matth. Wesenbec. in tit. ff. de diuort. nu. 9.* Quidem, vt & gloss. *in d.* §. *quod autem a nobis*, omneis eos, qui temere & per contumaciam diutius ab vxoribus absunt, diuortio caussam præbere censet. Quare ad solos quidem armatos milites hoc priuilegium dirigunt Imperatores *in d. l. vxor, d.* §. *nouimus, & d.* §. *quod autem.* Canones † tamen, vt & ciuilis iuris rationes multæ, 7
quibuscunq; iusta de caussa absentibus indulgendum suadent: vt suo videbimus loco. Eis † præterea tantum, qui in bello aduersus 8
Saracenos, aut sub Principe suo militant, hoc priuilegium tribuendum, ceteris non item, censet glossa *in d* § *quod autem.* Quod omnino cum mea sententia conuenit, qua supra *lib. 1.* militem esse ostendi illum, qui iusto in bello militat. Itaq; hoc priuilegium veris tantum militibus (quibus scilicet supra tradita congruit definitio) non falsis datum, scire oportet.

PRIVILEGIVM XIV.

Milites, quæ focariis siue concubinis donarunt, reuocare possunt.

EPITOMA.

1 *Milites focariis suis donare prohibentur, & num.3.*
2 *Caussa huius priuilegii.*
4 *Priuilegium hoc non pertinet ad clericos.*
5 *Concubinæ clericis interdictæ.*
6 *Nemo præmium reportare debet vbi pœnam meretur.*
7 *An militibus liceat focarias alere, agitatum.*
8 *Olim Romani milites sine iustis coniugibus agebant: ius tamen contubernii in prouinciis habebant.*
9 *Huic priuilegio renuntiari potest.*

1 HOc priuilegium † milites focariis seu concubinis suis donare prohibet, ita vt quodcunque his donauerint, repetere possint, *l. si ancillam, 2. C. de donat. inter virum & vxorem, & l. affectionis, 5. ff. de donationib.* Nam licet cessante iure matrimonii donatio perfici potuerit, *l. si ancillam, 2. C. de donat. inter vir. & vxorem, & l. affectionis, 5. ff. de donat.* imo in specie donationes in concubinas collatas, reuocari non posse placuerit, *l. donationes, 31. in princ. ibid. l. hæc ratio, 3 §. 1. l. si prædia, 58. ff. de donat. inter virum & vxorem*, milites tamen suos hac ratione fictisque adulationibus spoliari a focariis suis Impera-
2 tor noluit, *d. l. si ancillam.* Quæ verba non tenorem solum, sed † caussam quoq; præsentis priuilegii exhibent. Imperatores enim, quia, vt sæpissime dictum, mirifice militibus suis fauent, & olim quidem communi iure, hodie vero huic pene soli hominum generi concubinas seu focarias in militia circumducere consuetudine datum est: hos tamẽ ab illis fictis adulationibus & fraudibus muliebribus spoliari nolunt. Quod quia in legitimis vxoribus timeri potest, *l. 1. 2. 3. & toto tit. ff. & C. de donat. inter virum & vxorem*, multo magis in
3 concubinis & scortis huiuscemodi militaribus. Peculiari † tamen hoc loco fauore milites gaudent. Nam cum ab aliis in concubinas collatæ donationes, vti docui, valeant: hi soli tamen excipiuntur. Id quod quidem hodie maxime valebit: cum nemo iam alius, præter milites, concubinas aut focarias impune alat. Itaq; reliquis omnibus merito hoc priuilegium reuocandæ donationis negatur: ne melior sit conditio eorum, qui deliquerunt, *d. l. hæc ratio, §. 1.* Quo
4 argumento † & illud intelligitur, priuilegiũ hoc solis armatæ militiæ militibus competere, & minime ad clericos extendi posse, vt censent

censent Ricard. Malumb. & Bartol. *in d. l. si ancillam, & in d. l. adfe-ctionis, & in l. miles ita, §. mulier, n. 4. ff. de testament. milit. & in l. miles, in princip. ff. de re iudic.* Nam præter illa, quibus supra ostendimus, nequaquam armatorum militum priuilegia ad ceteros omnia extendi, nisi in specie a lege extendantur, vel iisdem peculiariter tribuãtur, (quod hic factum nulla lege, nulla ratione probari potest) certum est, concubinas † seu focarias clericis omnino esse interdictas, 5
c. nullus missam, distinct. 32. c. fin. distinct. 51. Angel. de Clauasio in summa, in verbo Concubinatus. Quod si ita est, quomodo donationem his reuocare permittetur, & priuilegio iuuabuntur, quos deliquisse constat? *d. l. hæc ratio, §. 1. ff. de donat. inter vir. & vxor.* Nec † enim præmiũ 6
quis reportare debet, vnde pœnam meretur, *l. testamenta, 26. vbi glo. ff. de test. mil.* Omnino enim sequitur, neminem hoc priuilegio fruiturum, qui concubinam habere prohibetur.

Iam quæ sit concubina, & an habere liceat, aliis disceptandum relinquo. Ea enim sola, quæ propria sunt cuiuslibet priuilegii, hic tractare statutum est, ne in immensum procedat volumen. Illa tamen huius † loci propria quæstio est, an militibus focarias habere 7
liceat. Cui ego non ex iure diuino, sed ciuili & humano respondeo, licere: idq; prouocatione ad populum probo. Omnes enim videmus milites Romani Imperii hodie, si mariti alias non sint, impune focarias secum circumducere: neque istos punitos vnquam ob illud a magistratu auditum est. Et cum multas in conuentibus Imperii circa milites factas constitutiones habeamus, id ipsum nunquam prohibitum inueni. In expeditione tamen hoc eis, & dum militant, non diutius, indulgeri credo, idq; propter commoditates quasdam & maiora peccata ac scelera cauenda, non tam concedi, quam conniueri a Principibus opinor. Qua de caussa DEVM quoq; in Veteri Testamento concubinatum, polygamiam, & plura alia tolerasse dubium non est. Olim † quidem Romana vigente ac 8
florente vna cum Rep. militia, milites sine coniugib. iustis egisse, contubernii tamen ius in prouinciis semper habuisse ostendit I. Lipsius in Comment. *ad lib. 14. annal.* Taciti, *num. 75.* Quanquam in castris quoq; nullam omnino fœminam passos, velit idem *lib. 5. de milit. Romana dialog. 18.* citans Poetam:

Romanis vtinam patuissent castra puellis.

Idq; & Germanis olim seruatum, probat ex Gunthero Poeta, ita inter res Friderici I. Imp. scribente:

Non erit in nostris nobiscum fœmina castris:
Qui reus exstiterit, spoliis nudatus abibit.
Turpiter, & naso mutilabitur illa resecto.

Veruntamen & antiquissimorum Principum temporibus, vxores cum militibus Reip. caussa absentibus peregrinari solitas, vel solæ leges apertissime probant: vt *tot. tit. C. de vxoribus milit.*

9 Huic autem † priuilegio renuntiare milites tacite vel expresse posse, ita vt si velint donationem integram ac firmam manere, maneat, patet tum ex verbis *d. l. si ancillam*, quæ non absolute eis donationes interdicit, sed tantum reuocare permittit (restitui enim iubet: non ait, nullam fuisse donationem) tum vero ex ratione coniugum, quibus cum idem priuilegium sit datum, tamen nisi donationem suam in coniugem collatam pars altera reuocet, donatio subsistit, *l. 1. cum simil. C de donat. inter virum & vxorem.* Ad hæc priuilegium non, vt multa alia, militiæ aut disciplinæ militaris, vel alterius cuiusdam respectu, sed solo militũ fauore, ne eis res suæ nolentibus aut imprudentibus pereant, introductum est. Iam vnumquẽque suo fauori, & his, quæ pro eis introducta sunt, posse renuntiare supra copiose ostensum est. Hoc ergo solum huius priuilegii propositum est, vt si quid focariæ suæ donauerit miles, possit id quandocunq; libuerit, repetere ac reuocare.

PRIVILEGIVM XV.

Miles tutor vel curator esse prohibetur.

EPITOMA.

1 *Miles tutor vel curator esse nequit.*
2 *Caussa priuilegij.*
3 *Priuilegium hoc ad armatos tantum pertinet milites.*
4 *Simile priuilegium & alij quidam habent, sed propriis ex caussis, propriis fundamentis.*
5 *Miles commilitonis & huius liberorum tutor vel curator esse non potest: at bene veteranus.*
6 *Miles huic priuilegio renuntiare nequit.*

TVtores vel curatores regulariter omneis fieri posse, notissimi
1 iuris esse puto. Nihilo tamen minus † Philippus Imp. *in l. militiæ, 4. C. qui dare tut. vel curat. poss.* expresse ac seuere sanxit, vt militiæ armatæ

matæ muneribus occupatus, nec legitimus, nec testamẽtarius, nec alio modo, etsi voluerit, tutor vel curator esse possit.

Caussam † huius priuilegij communem illam esse, ne munerib. 2
aut negotiis ciuilibus ab numeris & signis suis milites auocentur, tũ ex principio *d.l. militiæ*, tum ipsa natura huius priuilegij colligi puto.

Priuilegium † item hoc ad solos armatos milites ratione d. legis pertinere, ex ipsis verbis illius euidens arbitror esse. Non † nego a- 3
lios quoq; nõ paucos partim excusationes habere, partim omnino 4
prohiberi: sed aliis horum priuilegia legib. niti, nec huius vi quidquam accipere, aio. Vnumquoduis etenim ex suis & propriis caussis ostendendum, sua in sede quærendum est. Sic circa latus Principis militanteis a tutelis & curationibus excusari, ait *l. vlt. C. de excusat. tut. l. iurisperitos, 30. in pr. ff. eod. l. verum, 11. §. ex facto, ff. de minoribus, l. fin. Cod. de silentiar. lib. 12.* Igitur si hos aduersus tutelas priuilegium habere docere ac probare velis, non ex d. *l. militiæ, 4.* hoc facere debes (illam enim de armatis tantum loqui militib. plusquã manifestum est) sed ex modo dd. ll. quæ proprie & vnice de illis loquũtur & agunt. Nam præter cetera hoc quoq; incommodum, si aliter feceris, sequetur, quod vt milites, sic isti etiã volentes, tutores & curatores esse nequeunt, quod falsum est. Siquidem excusationis tantũ his priuilegiũ tribui, sic vt inuiti tutores vel curatores esse ne cõpellantur, dd. ll. manifeste docent. Idem de similib. iudiciũ esto. Quod aduersus illos tenendũ, qui a milite armatæ militiæ, ad alios improprie milites promiscue falsoq; priuilegia trãsferre & extẽdere solẽt.

Quæritur autem, † vtrum milites aliorum quidem tutelam ge- 5
rere nõ debeant, commilitonũ vero & eorum, qui ex his nati sunt, debeant, argumento *l. sed & milites, 8. in pr. ff. de excus.* ideo videlicet, quia priuilegiũ cum æquali concurrens tollitur. Coæqualitas enim honoris militiæ fortior videtur omni militũ priuilegio, *d. l.* Sed illud hoc in loco nõ fieri, dico. Nam *d. l. sed & milites*, de veteranis tãtum militib. non de militantib. loquitur. Inter quos magna est differẽtia. Illis priuilegia sua honoris caussa & præmii dãtur: his multa nõ tã honoris, q̃ disciplinæ ac militiæ ordinãdę ergo. Illis excusatio tantũ datur, qua si nolint vti nõ cogũtur; his omnino interdicitur id muneris, nec si velint, suscipere possunt. Pẽdet. n. eorũ priuilegiũ nõ ab ipsis, sed ab alia, vt ostẽdi, caussa. Illorũ igitur merito priuilegiũ cessat, q. a plus otii habẽt, q. a ab ipsis priuilegiũ pendet. Horũ nõ cessat, q. a semp debẽt insistere signis, nec huiusm. functionib opati

6 esse queunt, disciplina prohibēte. Vnde illud sua † sponte sequitur, milites isti priuilegio nec tacite nec expresse renūtiaturos. Id enim *d.l.milites*, apertis prohibet verbis: & iuri quod ab alio dependet, neminem renuntiare posse, alibi sufficienter demonstratum est.

PRIVILEGIVM XVI.

Milites liberam testamenti factionem, hoc est, vt quomodo velint & possunt, testentur, habent.

EPITOMA.

1 *Circa testamenta eximium præ omnibus priuilegium milites habent.*
2 *Eius auctores Impp. Romani.*
3 *Iulij Cæs. in milites indulgentia.*
4 *Appellatur hoc priuilegium beneficium, indulgentia, concessio, constitutio, prærogatiua, ius.*
5 *Ius nimirum proprium ac singulare & ab iure communi diuersum.*
6 *Definitio huius priuilegij.*
7 *Voluntas militis seu formalis est huius priuilegij caussa.*
8 *Finalis eiusd. & impulsiua caussa, præmia ob merita, fauor & beneuolentia Principum in milites, & horum simplicitas nimiaq; imperitia.*
9 *Præ omnibus tamen hoc suaserunt belli necessitates & subiti casus.*
10 *Verbum Possent quid valeat in præsenti priuilegio, declaratur.*
11 *Hoc priuilegio fruitur ille tantum, qui miles est, & in militia seu expeditione constitutus.*
12 *Quando miles in expeditione esse dicatur ostensum.*
13 *Qui milites hoc priuilegium non habeant, indicatur.*
14 *Hoc numero sunt emansores seu vagabundi.*
15 *Qui quidem milites manent.*
16 *Qui vltra tempus vel formam commeatus abest, vagari intelligitur, nec priuilegium istud habet.*
17 *Hoc limitatur & declaratur.*
18 *Illi soli fauetur, qui necessitatis, in qua est, ipsi sibi caussa non fuit.*
19 *Miles licet commeatum habens, dum domi est, militariter testari non potest.*
20 *In negotio publico absens, si huic incumbit, priuilegium habet; sin ad aliena & priuata deflectat, non habet.*
21 *Ab hostibus capti iure militari non testantur.*

22 *At si reuertantur, perennis & continuata militia eorum habetur.*
23 *Veterani hoc priuilegio non fruuntur.*
24 *Hi quoq; milites appellantur, licet in militia non sint.*
25 *Si euocentur in militiam, priuilegia militum habent.*
26 *Interpretatio huius priuilegij necessaria.*
27 *Quantum pateat militis voluntas, in sequentibus explicatur.*
28 *Iure militari mutus & surdus testamentum facere potest.*
29 *Capite damnatus intestabilis est.*
30 *Ex militari delicto capitis damnatus, testari, fideicommissum relinquere, mortis caussa donare potest, idq; iure militari, sed in castrensibus tantum.*
31 *Et dum ille qui damnauit, in sententia permiserit.*
32 *Quod non permittitur his qui sacramenti fidem ruperunt.*
33 *Sacramentum militare quid sit, & vnde natum, exprimitur.*
34 *Quid sit, solui sacramento, ostenditur.*
35 *Miles incertus an sui iuris, testari potest.*
36 *Miles filio quoq; testamentum facere iure militari eiq; substituere potest, tametsi sibi non fecerit, quod non est de iure communi.*
37 *Militis emancipati vel in adoptionem dati testamentum, quasi ex noua voluntate valet.*
38 *Sed tantum in castrensibus.*
39 *An media capitis diminutio minimæ hoc loco æquetur.*
40 *Militibus liberum arbitrium quibus velint relinquendi supremis iudiciis concessum est.*
41 *Excipiuntur quos speciatim leges excipiunt.*
42 *Institutio militis vires habet, si cum moriebatur ille quis talis inuenitur, vt a milite institui potuerit.*
43 *Hæreticum instituere aut ei legare miles non potest.*
44 *Mulier in quam turpis suspicio cadere potest, ne ex militis quidem testamento capere potest.*
45 *Militis testamentum, licet imperfectum ratione iuris communis, valet.*
46 *Qui voluit iure communi testari, beneficio militari non ideo renũtiauit.*
47 *Militis testamentum etiam notis conscriptum valet.*
48 *Miles si quid in vagina aut clypeo literis sanguine suo rutilantibus notauerit, aut in puluere scripserit eo ipso tempore, quo in prælio vitam relinquit, huiusmodi voluntatem stabilem esse oportet.*
49 *Inter paganos ex imperfecto testamento nec Imp. hereditatem vendicare potest.*

22

50 *Militi plura simul testamenta facere licet.*
51 *Miles pro parte testatus, pro parte intestatus, decedere potest.*
52 *Id quod paganis non est concessum. De parte enim testati reliqua omnia bona instituto heredi accedunt.*
53 *Vniuerse qui certæ rei heres instituitur, coherede non dato, omnium bonorum hereditatem obtinet.*
54 *Quomodo miles partim testatus partim intestatus decedere possit, descriptum, & n.59.*
55 *Quæ hoc loco inter paganum & militem differentia, notatur.*
56 *Militem hoc modo testari voluisse, constare debet.*
57 *Quomodo & vnde de hoc constare possit, explicatur.*
58 *Concessum in vno, in alio videtur prohibitum: & inclusio vnius est exclusio alterius.*
60 *Miles ad tempus heredem facere potest, & alium post tempus, vel ex conditione vel in conditionem.*
61 *An testium numerus septenarius militi remissus, quæritur.*
62 *An testes omnino remissi, disputatur.*
63 *Quidam duos testeis requirunt.*
64 *Ego nullum, & n.67.*
65 *In testamento nuncupatiuo militis quomodo testes requirantur, indicatum, & n.68.*
66 *L. Diu. Traianus, 24 ff. de testam. milit. explicatur, & n.72.*
69 *An testeis in militari testamento oporteat esse rogatos, inquiritur.*
70 *Plerique testeis rogatos requirunt.*
71 *Sed cum distinctione, & n.75.*
73 *Qui rogatos testeis requirunt, refutantur, & n.76.*
74 *In omni vlt. voluntate, testamento excepto, testes non rogati sufficiunt.*
77 *Liberi qui in potestate sunt, aut heredes instituantur, aut nominatim exheredentur.*
78 *Militis silentium, non ignorantis an habeat liberos, pro exheredatione nominatim facta valet.*
79 *Qui iure militari testatur, si eo animo fuit, vt vellet quisquis sibi nasceretur, heredem esse, valide testatur.*
80 *An præteritio sine caussæ adiectione pro exheredatione sit in militis testamento, quæritur.*
81 *An militis filijfam. de castrensi peculio factum testamentũ querelæ inofficiosi subiaceat.*
82 *Iura non corriguntur, nisi quatenus exprimuntur.*
83 *Inter alios actum, aliis nocere non debet.*

84 In

84 *In militari testamento institutio obliqua trahitur ad directam.*
85 *Miles tā puberi filio quam emancipato & extraneo directo substituere pōt.*
86 *Militis codicillis ad testamentum factis etiam directo hereditas dari iure videtur.*
87 *In militis testamento cessat Falcidia.*
88 *Quod quidam abrogatum aiunt.*
89 *Sed negatur factum, & n 95.*
90 *Princeps nemini suum facile adimit.*
91 *Quod expresse mutatum non est, stare debet.*
92 *Nec priuilegium nec vniuersalis lex priuilegio derogat, nisi expressam faciat illius mentionem.*
93 *Generalis lex tum demum casus priuilegiatos comprehendit, cum illi non reperiuntur specialiter priuilegiati in illis casibus de quibus agitur.*
94 *Dictum generale ad extraordinaria non refertur.*
96 *In militis testamento lex Trebelliana cessat.*
97 *In detractione videlicet quartæ.*
98 *Eodem testam. miles eundem heredem & deinde exheredē scribere potest.*
99 *Milites ad prælij discrimen pergentes, de bonis suis pacisci possunt, vt defuncti bona ad superstitem pertineant.*
100 *Vis & summa huius priuilegij est, vt nuda militum voluntas sufficiat, dum hanc eorum voluntatem fuisse constet.*
101 *Priuilegium hoc plenissime interpretari oportet.*
102 *Voluntas militis, forma, fundamentum, & velut anima est testamenti militaris.*
103 *Testamentum militare annum valet etiam post missionem a militia.*
104 *Non tamen ignominiosam.*
105 *Testam. militis valet, etsi conditio adscripta post annū demū exstiterit.*
106 *Testamentum militis ante militiam factum, si ille in militia decedat, iure militari valet.*
107 *Modus circa extensionem priuilegij seruandus, & n. 111.*
108 *Non protinus quidquid dicitur miles voluisse pro rato habendum.*
109 *Priuilegia militum non debent ad læsionem eorum produci.*
110 *Nec item ad tertij detrimentum.*
112 *Priuilegium militis non tollit delictum scribentis*
113 *Priuilegiū hoc in quib. iure speciali nō regitur, ex iure cōmuni æstimatur.*
114 *Concursus illius.*
115 *Renuntiare eidem miles potest.*
116 *Miles qui voluit iure communi testari, non statim beneficio militari renuntiauit.*
117 *Quibus delictis hoc priuilegium amittatur.*
118 *Miles qui extra expeditionē in aliis locis aut suis sedib. agit, priuilegium amittit.*

1 TEstamentorum sequitur materia: circa † quam longe eximium præ omnibus & amplissimum milites priuilegium habēt: adeo vt peculiares eidem tam in Codice & Digesto quam Institutionib. iuris ciuilis titulos tribuerit Imp. Nobis itaq; non leuiter hoc transeundum, sed præ reliquis diligentius ampliusq; est examinandum.
2 Auctores huius † priuilegii Imperatores Romanos refert *l. 1. ff. h. tit.* Inter quos primus Dius Iulius occurrit. Hunc enim tum alio-
3 quin vehemēter popularem, tum vero inprimis † in milites studio ac liberalitate insignem, rerum scriptores nobis prodiderunt. Ac in specie Sueton. Tranquillus in eius vita, c. *67. Delicta*, inquit, *neq; obseruabat omnia, neq; pro modo exsequebatur, sed desertorum ac seditiosorum inquisitor & punitor acerrimus, conniuebat in ceteris. Ac nonnunquam post magnam pugnam atq; victoriam remisso officiorum munere, licentiam omnem passim lasciuiendi permittebat, iactare solitus, milites suos etiam vnguentatos bene pugnare posse: nec milites suos pro concione, sed blandiori nomine commilitones appellabat: habebatq; tam cultos, vt argento & auro politis armis ornaret, &c. quibus rebus & deuotissimos sibi reddidit.* Hinc, vt idem ait c. seq. pleriq; sub conditione concessam sibi vitam, si militare aduersus eum vellent, recusarunt: & plura alia fidelitatis ac amoris egregia signa ostenderunt. Ab hac igitur munificentia ac fauore in milites hoc quoq; priuilegiū emanasse indubium est. Temporalem tamen eius concessionem solum fuisse, ait l. ead. Itaq; pleniorem indulgentiam postea primū D. Titum, tum Domitianum, hinc D. Neruam plenissimam in milites contulisse, eamq; & Traianum secutum, ostendit. Quod obseruasse omneis deinceps vsq; ad Iustin. Imperatores, Iustinianum vero auctoritate sua confirmasse, ex legib. C. apparet. Post hunc cum ceteris iuris ciuilis partibus ad nos vsq; priuilegia ista integra rataq; peruenerunt.
4 Appellantur † autē hęc, primo quidē priuilegia *in l. tribunus, 20. §. 1. l. D. Traian. 24. l. miles ita, 41. in pr. ff. h. t. Instit. eod. in pr. l. in testamento, 6. C. eod. tit.* Beneficia *in l. quod constitutū, 21. ff. h. t.* Itē indulgentia, *d. l. ff. h. t.* & Cōcessio, *ibid.* Constitutio, *l. 2. l. Titius, 25. ff. h. t. Inst. eod. in prin.* Prærogatiua, *l. ex his verbis, 7. C. h. t.* Inprimis autē, & frequentissime ius, & quidē militare, *l. 4. 7. 9. 10 & tot. h. t.* Ius. n. vt dixi, summum o-
5 mnium priuilegiorū genus est. Itaq; † & pręsens merito ius appellatur: & quidē propriū ac singulare, *l. 2. ff. h. t.* seu ab iure cōmuni diuersum, *l. seq. ibid.* Testamenta. n. militū iuris cōmunis vinculis non subiici, & ab accurata solemnitatū in testamentis requisitarū obser-

uatione

uatione eximi, non solum *l. quanquam, 3. l. seq. C h. t. Instit. eod. in princ.* sed omnes omnino leges, quæ de his agunt, testantur.

Priuilegium † igitur hoc ius est singulare, quo militibus in expeditione occupatis libera testaméti factio, hoc est, vt quomodo velint ac quomodo possint testentur, propter simplicitatem eorum & imperitiam, labores item, necessitates, & simileis caussas, constitutionibus Principalibus indulgetur. Enimuero huius priuilegii definitionem ac promulgationem solemnem habes *in d. l. 1. ff. hoc tit.* vbi Imperator: *Cum in notitiam meam prolatum sit*, inquit, *subinde testamenta a commilitonibus relicta proferri, quæ possint in controuersiam deduci, si ad diligentiam legum reuocantur & obseruantiam: sequutus animi mei integritudinem erga optimos fidelissimosque commilitones, simplicitati eorum consulendum existimaui: vt quoquo modo testati fuissent, rata esset eorum voluntas. Faciant igitur testamenta, quomodo volent, faciant quomodo poterint, sufficiatque ad bonorum suorum diuisionem faciendã nuda voluntas testatoris.* Ita in Institut. *hoc tit. in princ. Supra dicta*, inquit Imperator, *diligens obseruatio in ordinandis testamentis, militibus propter nimiam imperitiam eorum constitutionibus Principalibus remissa est. Nam quamuis ii neque legitimum numerum testium adhibuerint, neque aliorum testamentorum solemnitatem obseruauerint, recte nihilominus testantur, videlicet cum in expeditionibus occupati sunt. Quoquo enim modo voluntas eius suprema inueniatur, siue scripta, siue non scripta, valet statim testamentum ex voluntate eius &c.* Eadẽ hæc confirmant ac repetunt *l. in fraudem, 15. § 1. l. D. Traianus, 24. l. cum filiusfamilias, 28. l. eius militis, in fin. 34. cum l. seq. l. Lucius, 40. in princip. ff. hoc tit. l. 1. l. 3. l. si a fratre, 14. cum l. seq. C. eodem &c.* Quæ omnia nudæ solique militis voluntati testamenti factionem relinquunt. Ex † quo voluntatem eius tanquam formalem esse huius priuilegii caussam euidens est. 6 7

Finalem † quoq; & impulsiuam huius priuilegii caussam eædẽ nobis leges demonstrant. Primo enim præmii caussa hoc eis conferri, docet *l. testamenta, 26. §. 1 ff. hoc tit.* Huic accedit indulgẽtia, fauor, & integritudo animi Principum erga commilitones, *l. 1. ff. hoc tit. l. licet inter, 19. C. de pactis.* Et inprimis simplicitas eorum & nimia imperitia, *d. l. 1. & l. 40. ff. hoc tit. l. 3. C. hoc tit. Institut. eodem, in princ.* cui consulere Imperatorem æquitas iussit, *d. l. 1. ff. hoc tit. & Institut. eod. in princ. ibi, quam merito nostra constitutio introduxit.* Sed & illam † non postremam huius priuilegii caussam esse opinor, quod propter necessitates belli mortisque inopinatum discrimen, & infinitos casus 8 9

alios, non semper testamentorum solemnia seruare possunt, *d. l. licet inter, 19.* Quare cum testamentorum ideo eos factionem non habere iniquum esset (nemini enim suum officiũ debet esse damnosum, *l. sed si quis, 7. ff. testamenta quemadmod. aperiant. l. inter eos, 33. § fin. ff. ex quibus causs. maiores, &c. l. nec liberalitate, 50. ff. de re iudic.*) merito hoc eis priuilegium datum est, vt quomodo possent testarentur.
10 Verbum † enim *Possent*, quod toties ingeminatur, non tantum ad imperitiam eorum, sed etiam ad impotentiam referendum: ita videlicet, vt iis testari liceat, non tantum pro eo, quod sciunt de testamentorum forma (hoc enim magis ad priuilegium pertinet, quo ne iuris ignorantia militibus noceat, cauetur) sed & pro præsentis necessitatis facultate, *facit l. si miles, 3. cum l. seq. l. miles, 35. l. Lucius, 40. ff. hoc tit. l. milites, 15. C. eod.* neque enim, vt ex his apparet, testium eis semper copia est, nec cetera solemnia exsequi mors ob oculos posita, aut iam membra tenens, permittit. Exemplum apud Iulium Cæsarem *in fin. lib. 2. de bello ciuil. Tota acies equitatu hostium circumdata tenebatur. Hi de sua salute desperantes, vt extremo vitæ tempore homines facere consuerunt, aut suam mortem miserabantur, aut parentes suos commendabant si quos ex eo periculo fortuna seruare potuisset.* Et idem *lib. 1. de bello Gallico, de pugna cum Ariouisto Rege & Germanis: Vulgo totis ca-*
11 *stris testamenta obsignabantur.* Vnde, † vt mox videbimus, illis tantum iure militari testari permissum est, qui in expeditionis necessitate constituti sunt. Æquissimum igitur est, istos, qui pro Rep. corpora sua deuouerunt, mortisq; repentinis ac multiplicibus casibus vitam suam & sua omnia subiecerunt, vltimæ voluntatis arbitrio idcirco minime spoliari, *d. l. licet inter, 19.* Has itaq; huius priuilegii caussas ad æquitatem directas omneis inuenimus.

Quis autem hoc priuilegio fruatur, quæris? Respondeo breuissime; miles quatenus in expeditione seu militia agit, *l. 1. l. milites, 15. l. penult. C. hoc tit. Institut. eodem, in princ. & § 3. l. vlt. C. de restitut. milit.* A milite enim factum hoc modo testamentum, ratum ac validum esse, argumento est *l. si certarum, 17. § vlt. ibi quia non sunt a milite facti, ff. hoc tit.* & quidem a vero & legitimo milite: in quo præcipue, vt in numeris sit, requiritur, *l. iure militari, 4. l. quod dicitur, 38. l. ex eo tempore, 42. ff. hoc tit.* Veruntamen non vt miles tantum, sed vt in militia sit atque testetur, necesse est. Non enim militum testamenta, sed quæ a militibus facta sunt, confirmari ait *l. Titius, 25. ff. hoc tit.* hoc est, non illa testamenta, quæ miles aliquis ante, post,

vel

vel extra militiam fecit, sed illa tantum, quæ in ipsa militia fecit, rata habentur. Ceterum cum ii tantum milites, † qui in expeditio- 12
ne & militia agunt, hoc vti priuilegio possint, qui proprie illi sint, qui non sint, non immerito quæritur. Quid sit in expeditione esse, supra *lib. 1. cap. 5. num. 2.* copiose ostendi. Vnde illud inprimis huc volo referri, non illos tantum in expeditione esse, qui in hostili regione aut ipso discrimine belli versantur, sed eos quoque, qui in præsidiis, in custodiis, in statiuis, hybernis positi sunt, in expeditione & militia esse. Hi omnes proinde ad militum priuilegia & liberam testamenti factionem aditum habent. Qui † autem 13
proprie sint illi milites, qui testari iure militari non possint, satis exprimitur *in princ. Institut. hoc tit. & l. vlt. C. de restitutione militum*, vbi Imperator, *Illis*, ait, *temporibus per qua citra expeditionum necessitatem in aliis locis vel in suis sedibus degunt, minime ad vindicandum tale priuilegium adiuuantur.* Idem est ac si dicat, dum quidem militia milites occupantur, priuilegio præsenti fruuntur; dum vero suis & priuatis negotiis aut casibus detinentur, non fruuntur. Per † eos 14
igitur milites, qui in aliis locis vel suis sedibus degunt, primo intelliguntur emansores seu vagabundi, qui diu vagati ad castra regrediuntur. Hi, nisi † ad desertionis vsque scelus progrediantur, mi- 15
lites manent, *l. desertorem, 3. § 2. 3. 5. l. sequenti, §. vlt. & penult. ff. de re milatari, l. tribuni, 11. l. nemo, 13. §. vlt. C. eodem, lib. 12. l. si qui, 3. C. de protectoribus & domin. lib. eodem, l. 3. ibi. si quis sine commeatu aliquo annum in penatibus propriis vel in quibuslibet locis desidiosa quiete transegerit, C. de commeatibus, d. lib.* testari autem iure militari non possunt, argumento tum dictarum modo legum, tum quia non in expeditione, sed suis ædibus vel aliis locis agunt. Rationem optimam & verissimam habes *in l. generaliter, 52. C. de Episcopis & clericis.* Ad † va- 16
gabundos pertinent illi quoque, qui vltra tempus aut formam commeatus absunt. Nam & hi priuilegium amittunt, *l. 2. §. vltim. ff. ad municipal. l. penultim. ff. de re militari, l. si cui, 38. §. 1. ff. ex quibus caussis maiores.* Qui enim vltra tempus concessum abest vagari intelligitur: & quoniam æque ac alter ab expeditione abest, miles quidem nisi vltra progrediatur, manet: ceterum, vt is, qui domi aut alibi & non in militia agit, iure militari testari nequit. Excipitur † tamen, si quis commeatu accepto, infirmi- 17
tate, nauigatione, tempestate, aut alio casu ineuitabili impeditur, quo minus ad præstitutum tempus adsit. Talis enim vagari

non accipitur, d.l.si cui, 38. in fin. At vagabundum nihil casus aut ne-
18 cessitas excusat. Illi namque † soli fauetur, qui necessitatis in qua est
ipse sibi caussa non fuit, l.si fideiussor. 7. §.1.ff. qui satisd. non cogan. l.si mu-
lier, 21. in princ. ff. quod metus caussa, l.Senatoris, 47 ff. de ritu nuptiar. Sed
19 & qui cum † commeatu abest miles, quamuis hoc eis interdictum
non sit, l.officium, 17. §.1.ff. de re milit. dum quidem vadit aut redit, pri-
uilegium habet, dum vero domi est, non habet, l.miles, 34 l.seq.ff. ex
quibus caussis maiores, l.1.ff. de re milit. Nam & hic non in expeditione,
20 sed domi agit. Quod † si quis autem in negotio publico absit, quã-
diu intra limites huius manet, priuilegium habet, d.l. qui mittun-
tur, 35. ff. ex quibus caussis maiores, d.l.si cui, 36. §.1. si ad alienã & priuata
deflectat iter, non habet, d.l.si cui, & vniuerse miles quicunque coa-
ctus & ratione officii sui ab expeditione abest, priuilegio militari
vtetur, qui sui commodi caussa in suis sedibus aut alibi degit, non v-
21 tetur, dict. legib. & l.Reipublicæ, 36. ff. eod. Huc pertinent ab † hosti-
bus capti, quos testaturos iure militari negat l.facere, 10. ff de testam.
22 milit. Capti † enim siquidem reuertantur, perennis & continuata
eorum militia habetur, l.2.§ sed si ex improuiso, ff. de re militari. Testa-
mentum autem, quod apud hostes fecerunt, nullum est, d.l.facere,
& l.eius qui, 8. ff. qui testamenta facere possunt. Non enim in expeditio-
23 ne factum est. Sed veteranos † quoque milites eadem limitatio
24 comprehendit. Nam & hi milites † quandoque appellantur, licet
non in militia sint: veluti in l.sed & milites, 8. in princ. ff. de excusat. tu-
torum, tit. & rubric. ff. de veteranorum & militum successione. Vnde Im-
perator Instiut. quibus non est permiss. facere testam. in princ. duo quasi
genera militum facit, militantium videlicet & dimissorum a mili-
tia seu veteranorum. Et milites alios in actu esse militiæ, alios sine
actu, vt veteranos, ait gloss. in l.filiusfamilias, 8. §. veterani, ff. de procu-
rator. Ita Cicero Philip. 3. Caium Cæsarem firmissimum exercitum
ex inuicto genere veteranorum militum comparasse ait, euocatos
intelligens milites, quos Cęsar emeritis stipendiis, agris atque sedi-
bus a patre acceptis, iterum largitionibus & spe præmiorum in mi-
litiam aduersus Antonium contraxerat, vt Dion Cass. lib. 45. Sue-
tonius in vita, & alii narrant. Veterani igitur reuera milites nõ fue-
rant (iam enim in numeris & sacramento esse desierant) sed milita-
res tamen homines, & aliquo modo milites. Qui, vt ex præceden-
te exemplo apparet, euocari aliquando rursus ad militiam sole-
bant. Quorum & Pompeius in acie Pharsalica duo millia habuit, vt
Cæsar

Cæsar *lib. 3. de bello ciuil.* scribit. Et exercitum Romæ ex caussariis & senioribus scriptum apud Tit. Liuium legimus. In hos igitur † præsens limitatio sic poterit conferri, vt istos quamdiu domi & suis in sedibus vel alibi agunt, communi tantum iure testamenta facturos dicamus, *l. idem est, 13. §. 1. ff. hoc tit. Inst. eod. § sed hactenus, l. vlt. C. de inoffic. testam. l. Papinianus, 8. § 3. ff. eod. l. ad veterani, 40. ff. ad legem Falcid.* Si autem euocetur, & militiam rursus capessant, vtique æquo cum aliis militibus, aut etiam ampliore iure censebuntur. Inique enim argumentabitur, qui etiam euocatos veteranos iure militari testaturos negat, quia veteranis id priuilegii datum non est. Merito igitur & horum hic fit mentio. Nam plane ad eundem modum Imperator *Instit. hoc tit. d. § sed hactenus. Hactenus*, inquit, *hoc illis a principalibus constitutionibus conceditur, quatenus militant, & in castris agunt. Post missionem vero veterani, vel extra castra alii, si faciant adhuc militantes testamentum, communi omnium ciuium Romanorum iure id facere debent.* Quibus igitur proprie priuilegium præsens tributum concessumque intelligatur, satis hactenus demonstratum opinor. Ac si quis omnia hactenus dicta colliget, definitionem quoq; huius priuilegii cum priuilegiorum definitioni in libris de priuilegiis iuris ciuilis traditæ, tum legibus iuris ciuilis, egregie vndiquaque consentire animaduertet. 25

Positum † igitur iam descriptumque priuilegium interpretari 26 etiam oportet. Nam quamuis illa pars, quæ de eo, qui fruiturus est hoc priuilegio, loquitur, iam modo satis excussa atque illustrata videatur, aliæ tamen, & illa inprimis, quæ voluntati militis tantum tribuit, nonnihil ambiguitatis & difficultatis habere videtur. Cum enim militem, neglecta iuris obseruatione, omissis testamentorum solemnitatibus, quomodocunque voluerit aut potuerit, testaturum dicimus: quærere mox libet, contrane ius omne, & contra omneis omnino testamentorum solemnitates, qualicunque voluntate, testari possit: an vero hæc omnia cum modo certo & ratione admittenda sint ac intelligenda. Multæ enim iuris communis regulæ atque obseruationes adeo necessariæ, adeo vtiles esse videntur, vt ne a militis quidem testamento excludi atque abesse debeant.

Igitur † exemplis seu regulis certis totam hanc rationem iuris 27 militaris ob oculos ponemus, vt quæ iuris solemnitates atque conditiones a milite omitti possint, quæ non, tanto accuratius perspi-

ciatur. Ea omnia in tria genera dispertire libet: aut enim in testatore, aut in herede seu illo, cui quid relinquitur, aut in ipso testamento priuilegium exercetur.

28 Ac † primo iure militari mutus & surdus testamentum facere potest, *l.4.C hoc tit. Institut. eod.* §. *quin imo*, etiamsi naturale hoc ei vitium insit, *gloss. in d.* §. *quinimo*, quamuis iure communi talibus neque testamentum facere, neque codicillos, neq; fideicommissum relinquere, neque mortis caussa donare, nec libertatem siue vindicta, siue alio modo imponere concedatur, *l. discretis, 10. C. qui testam. fac poss. l. qui in potestate, 6.* §. *1. l. seq ff. eod.* Veruntamen constare omnino debet, per signa certa, quæ per notos homines poterunt interpretari, ipsum sic voluisse testari, *gloss. vltim. in d.* §. *quin imo, & facit l. Diuus Traianus, 24. l. Lucius, 40. in princip. ff. hoc titul. facit l si pater, ff. de adopt.*

29 Deinde † iure communi, si cui aqua & igni interdictum est, si in metallum, ad bestias, ad gladium, vel alia pœna, quæ vitam & caput adimit, damnatus est: eius nec illud testamentum valet, quod ante fecit, nec id, quod postea fecerit, *l. eius qui*, §. *1. &* §. *vlt. ff. qui testa-*
30 *menta facere poss. l si quis, 6* §. *sed & si quis, 6. ff. de iniusto rupto irrit. facto testamento.* Quo † non obstante, ex militari delicto capite damnati, testamentum facere, fideicommissum relinquere, mortis caussa donare, & quidem iure militari, possunt: sed super castrensibus bonis duntaxat, *l. ex militari, 11. in princ. ff. hoc tit. d. l. si quis, 6.* § *6. ff. de iniusto rupto irritoq; facto testam. &c. l. si quis, 22* §. *1. de legat. 3. l. & militibus, 13. C. hoc tit. l. 1. ff. de veteranorum & militum success. l. cum hic sta-*
31 *tus, 32.* §. *si miles, 8. ff. de donatione inter virum & vxorem.* Hoc † tamen totum restringitur, vt tum demum testari talibus liceat, si is, qui damnauit in ipsa sententia permisit, *d. l. si quis, 22.* §. *1. d. l. si quis, 6.* §. *6. d. l. cum hic status,* §. *8. gloss. in l. & militibus, 13. C. hoc tit.* Militibus enim hoc permitti solere Diuus Hadrianus rescripsit, *d. l. si quis, 6.* Ex quo aliis hoc non concedi solere non inepte colligitur. Illud quoque non obiter accipiendum, quod ex militari solum delicto da-
32 mnatis succurri soleat: in communibus non item. Iis tamen † militibus, qui sacramenti fidem ruperunt, hoc non solere concedi, ait *d. l. ex militari, in princ. ff. hoc tit.* Sacramentum idem est, quod iuramentum, *vt in l. penult. C. in quibus causs. pignus vel hypothec. tacite contrah. l actori, 8. l. generaliter, 12. in princ. C de reb. credit. l. 2. C. de indicta viduit. l. vlt.* §. *pen. C. de iure delib. l. 1. in prin. C. de iureiur. propter calum. &c.*

Vnde

Vnde † ſacramentum militare, eſt iuramentum militare, quo Principi obligantur, *l. ab adminiſtratione, 8. C. de legat. l. vlt. C. de veter. lib. 12. l. ſtigmata 3. C. de fabricenſib. ibid.* De hoc, quando cœperit, & quale fuerit, ita ſcribit Titus Liuius *lib. 22. annalium: Milites tunc, quod nunquam antea factum erat, iureiurando a tribunis militum adacti, iuſſu Conſulum conuenturos, neque iniuſſu abituros. Nam ad eum diem nihil præter ſacramentum fuerat, & vbi ad decuriatum aut centuriatum conueniſſent, ſua voluntate ipſi inter ſe equites decuriati, centuriati pedites coniurabant, ſeſe fugæ atque formidinis ergo non abituros, neque ex ordine receſſuros, niſi teli ſumendi, aut petendi, aut hoſtis feriendi, aut ciuis ſeruandi cauſſa. Id ex voluntario inter ipſos fœdere ad legitimam iuriſiurandi adactionem translatum eſt.* Hæc Liuius. Quibus conſentit & Polybius *lib. 11.* cum ait: Ὁ στρατιωτικὸς ὅρκος, ὃν ἁπάντων μάλιστα ἐμπεδῶσι ῥωμαῖοι, τοῖς στρατηγοῖς ἀκολουθεῖν κελεύει ὅποι ποτ᾽ ἂν ἄγωσι. Item: ἀκολουθήσειν τοῖς ὑπάτοις, ἐφ᾽ οὓς ἂν καλῶνται πολέμους, καὶ μήτε ἀπολήψειν τὰ σημεῖα, μήτε ἄλλο πρᾶξαι ἐναντίον τῷ δήμῳ. Sed iſta antiquiorum temporum fuerunt iuramenta. At recentius & temporibus Chriſtianorum Imperatorum vſitatum, refert Vegetius *lib. 2. cap. 5. Puncturis, ſeu* (v. G. Steuechius legit) *victuris in cute puncti milites ſcripti, & in matriculis inſerti iurare ſolent. Iurant autem per* DEVM, *& per* CHRISTVM, *& per* SPIRITVM *Sanctum, & per Maieſtatem Imperatoris. Iurant autem, omnia ſe ſtrenue facturos, quæ præceperit Imperator, nunquam deſerturos militiam, nec mortem recuſaturos pro Republica Romana.* De hoc habes aliqua etiam apud Iuſtum Lipſium *lib. 15. annalium Taciti, num. 130.* vbi oſtendit, milites ſub Principibus iurare ſolitos, omnia omneiſque poſthabituros Principi, &c. nec minus *lib. 1. de militia Romanorum, dialog. 6.* Sic hodie in Articulorum, quem vocant, libello, qui nihil fere eſt aliud, quam ſacramenti militaris formula & ſumma, continetur: Anfänglich ſollen die Teutſchen Knecht Vns vnd dem Römiſchen Kayſer / vnd dem H. Reich geloben vnd ſchweren / Vns vnd dem H. Reich getrewlich zudienen / Vnſern vnd deß H. Reichs Schaden zuwarnen / vnd Fromen zufürdern: Deßgleichen vnſerm Oberſten Leutenant / Item / jhrē Oberſten / Hauptleutē / Leutenantē / Fendrichē / Waibeln / Furiern / vñ andern hohen Amptern / ſo von Vns geſetzt werden / wider vñ gegē dē Feind gehorſam zuſeyn / was ſie mit jhnen ſchaffen vñ gebietē / dz Kriegßleutē zuſteht / er ſey Edel od' Vnedel / klein od' groß Hans / daſſelb ohn alle Widerred vñ Außzug zuthun / vñ kein Meuterey zumachē noch Hand an ſie zulegē / noch ſie mit verächtlichē vñ ſchmählichē Wortē angreiffen:

Sondern sich gebrauchen zulassen / zu vnd von dem Feindt / in Zügen / Schlachten / Stürmen / oder Wachten / wie es sich bey Nacht vnd Tag begeben mag / vnd was die Nohtturfft erfordert / etc. Sacramentum igi-
34 tur militare tale est: quo † solui milites cum missionem accipiunt dicuntur, *l.1.C.de excusat.veter. l.miles,13.§.missionum,l.vlt.ff de remil. l.erat,3. C. de castrensi pecul. lib. 12.* Ex his, quando sacramenti fides rumpatur, facile iudicabis.
35 Tertio, † si miles incertus, an sui iuris sit testamentum fecerit, in ea conditione est testamentum eius, vt valeat. Nam etsi incertus, an pater suus viuat, testamentum fecerit, testamentum eius valebit, *d. l. ex militari, 11. §.1. ff. hoc tit.* Quod in pagano non est, *l. de statu, 15. ff. qui testam. fac. poss. l.1. in princ. de legat.3. l. Aristo, 9. ff de iure codicill. l. heres, 32. ff. de adquir. vel omit. heredit.*
36 Quarto, non † sibi tantum, sed & filio testamentum facere iure militari potest, adeo vt soli filio testamentum facere, eique substituere possit, tametsi sibi non fecerit, *l. in fraudem, 15. l. miles ita, 41. in fin. ff hoc tit. l.2. §.1. de vulg. & pupill. substitut.* De iure communi vero quisquis impuberi testamentum facit, sibi quoque facere debet, *l.2. §.1. ff. d. tit.* nec substituere liberis pater potest, nisi si heredem sibi instituerit. Nam sine heredis institutione nihil in testamento scriptum valet, *l.1. § vlt. ff. d. tit.* adeo autem nisi sibi quoque fecerit non valet, vt nisi adita quoque patris hereditas sit, pupillare testamentum euanescat, *d. l.2. §.1.*

Quinto, infirmatur de iure communi testamentum licet iure factum, cum is, qui fecit testamentum, capite minuitur, *Instit. quibus modis testament. infirment. §. alio quoque modo, l. conficiuntur, 8. §. si*
37 *post factum, ff. de iure codicill.* At militis † etiam emancipati vel in adoptionem dati a patre suo, vel si alteri se adrogandum dederit, testamentum quasi ex noua voluntate valet, *l. miles, 22. & l. seq. ff. hoc tit.* Quasi ex noua voluntate, lex ait: hoc est, tum demum ante capitis diminutionem factum testamentum valet, si etiam post eam se velle testamentum, quod ante fecerat, valere aliquo modo declarauit, argumento *l. tribunus, 20. §.1. l. Titius, 25. ff. hoc tit.* nam si nihil postea ab eo dictum factum probetur, quod valere velit, ad ius commune
38 pertinet, *dictis legib.* Dico † autem hoc totum in castrensibus tantum locum habere. Nam quamuis indifferenter loquatur *d. l. miles,* tamen quia constat militem filiumfamilias in castrensibus tantum bonis, non etiam in paternis, testari, etiam militariter posse, (nam

(nam de sua hereditate miles statuere pro libitu potest, alienum autem ius minuere non potest, *l. filius fam. 28. ff. h. t.*) indubie de illis tantum priuilegium est accipiendum. Et facit *l. seq. ibid.* quæ expresse de castrensibus duntaxat bonis agi demonstrat. Loquuntur item dictæ leges de minima solum capitis diminutione. Quid autem in eis qui maximam capitis diminutionem patiuntur statuendum sit, satis ex his quæ paulo ante *num. 29.* docui apparet. Idemque etiam † de media capitis diminutione, quamuis minimæ eam 39
in hoc casu comparet gloss. *in dict. l. miles, 22.* Sed quia nulla id lege confirmat, quia d. *l. si quis, 6. §. irritum, 5. cum §. seq. ff. de iniusto rupto irr. fac. test.* contrarium potius confirmat, quia item alias media capitis diminutio ad maximam propius quam ad minimam accedit, aio, mediam diminutionem passum eandem cum maximam passo habiturum fortunam. Deniq; non valere testamẽtum, si post missionem se dederit adrogandum, finemq; adeo hoc casu accipere priuilegium, monet d. *l. idem est, 23.*

Sexto, ratione † eorum quibus relinquitur, cum multi iure com- 40
muni capere ex testamento prohibeantur, vt passim videre est: militibus tamen inter cetera liberum arbitrium, quibus velint, relinquendi supremis iudiciis concessum est, *l. ex testamento, 5. C. h. t.* Itaq; deportati & fere omnes qui testamenti factionem habent, a milite heredes institui possunt, *l. idẽ est, 13. §. & deportati ff. h. t. l. si deportati, 7. §. 1. de legat. 3.* nisi quos † in specie lex prohibuerit, *d. l. ex testamẽto,* 41
5. Prohibet autẽ lex instituere seruos pœnæ, *d. l. idem est, §. & deportati, l. si in metallum, 3. ff. de his, quæ pro non script.* Si tamen mortis tẽpore in ciuitate talis inueniatur, institutio incipit cõualescere, quasi nũc data hereditate, *d. loco.* Et generatim † in omnib. poterit dici, quos 42
miles scribit heredes, vt institutio incipiat vireis habere, si mortis tempore talis inueniatur, vt a milite institui potuerit, *ibid.* Ita † san- 43
ctionem, qua hæretici hereditatẽ vel legatum vel fideicommissum accipere prohibentur, etiã in vltimis militum voluntatib. locũ habere, siue cõmuni iure siue militari testentur, præcipit *l. vlt. C. de hæreticis.* Ita mulierẽ, † in qua turpis suspicio cadere potest, nec ex te- 44
stamento militis aliquid capere posse D. Hadrian. rescripsit, *l. miles ita, 41. §. mulier, ff. h. t.* Quam l. nonnihil obscurã apertius exprimit *l. mulierem, 14. ff. de his quæ, vt indig.* mulierẽ, inquiẽs, quæ stupro cognita in contubernio militis fuit, etsi sacramẽto solutus miles intra annum mortẽ obierit, nõ admitti ad testamentũ iure militiæ factum.

Affectionis tamen gratia his posse donari, censet gl. *arg. l. affectionis, 5. ff. de donationib.* de quo ego multum dubito. Illa mihi magis sententia placet, quæ capere istas ex testamento ait, si mortis tempore bonæ opinionis & absq; suspicione fuerint, *arg. l. idem est, 13. §. & deportati, ff. h. t.* Hoc enim casu & ratio prohibitionis cessare videtur: quoniam nihil turpe inter militem & mulierem præsumitur, quæ post mortem illius demum improba esse cœpit.

45 Septimo, quod † ad testamentum, vniuerse tenendum, licet imperfectum illud sit ratione iuris communis, militari tamen priuilegio valere. De quo nemo dubitat, qui militibus quomodo velint & possint, testari permissum intelligit. Miles enim si testamẽtum imperfectum relinquit, scriptura, quæ profertur, perfecti testamenti potestatem habet *l, miles, 35. l. eius militis, 34. §. 1. & 2. ff. h. t. l. 2. ff. de iniust. rupt. irr. fact. test.* Nam militis testamentum sola perficitur volũ-
46 tate, *ibid.* Sed etsi miles, † qui destinauerat iure communi testari, ante defecerit quam testaretur, testamentum validum censetur, *l. 3. ff. h. t.* Neq; enim, vt ibid. ait Vlp. qui voluit iure cõmuni testari statim beneficio militari renuntiauit. Nec credẽdus est quisq; ã genus testandi eligere ad impugnãda sua iudicia, sed magis vtroq; genere voluisse propter fortuitos casus: quemadmodum plerique pagani solent cum testamẽtum faciunt per scripturam adiicere, velle hoc
47 etiam vice codicillorum valere, &c. Ita † cum Lucius Titius miles notario suo testamentum scribendum notis dictasset, & antequam literis perscriberetur vita defunctus esset: quærebatur, an hæc dictatio valeret. Itaq; Paulus ICtus respondit, militib. quoquo modo velint, & quoquo modo possint testamentum facere concessum esse: ita tamen, vt hoc ita subsecutum esse legitimis probationibus o-
48 stendatur, *l. Lucius, 40. ff. h. t.* Hinc † etiam si quid in vagina aut clypeo literis sanguine suo rutilantib. adnotauerint aut in puluere inscripserint gladio, sub ipso tempore, quo in prælio vitæ sortẽ derelinquunt, huiusmodi voluntatem stabilem esse oportet. vt ait *l. milites,*
49 *15. C. h. t.* In paganorum † autem testamentis adeo hæc non seruantur, vt ex imperfecto testamento nec Imperatorem hereditatem vindicare posse affirmet *l. 3. C. de testam.*

50 Octauo, plura † quoq; simul militi testamenta facere licet, tam simul quã separatim, nec superius inferiore rumpetur, si hoc se velle in specie expresserit, *l. quærebatur, 19. in pr. l. miles, 35. l. seq. § 1. ff. h. t.* quod si intermiserit, certum est inuicem rumpi, *l. centurio, 27. l. eius*

militis,

militis,34 §.*1.& 2.l.2.ff.de ininsto rupt. irr. fact. test.* Paganus vero nunquam, etsi velit, duo vel plura testamenta simul valida relinquere potest, *l.1.& 2.ff.d.t.*

Nono, & † testatus pro parte & pro parte intestatus miles decedere potest, *l. si miles,6.l. idem est,13.§.1.l.quærebatur,19. in pr. l. si duob. 37.l.miles,41.ff.h.t.l.1.& 2.C.eodem l.penul.§.2.ff.de castrensi pecul.§.hereditas, 5. in fine, Instit. de hered. institut.* Quod sic intelligendum. Paganum partim testato partim intestato decedere non posse, constat ex *dict. l penult. §. 2.ff.de castr. pecul. l. quanquam,3. C.hoc tit.l. idem est,13 §.1.ff.hoc tit.l. ius nostrum, 7. ff. de regul. iur.* Nam licet in testamento de parte solum bonorum testetur, reliqui mentione omissa: id tamen omne heredi instituto iure adcrescendi cedit, & caussa testata trahit ad se caussam intestati, *d.l.penult.d. l. idem est, 13 fac. l.3.§ vlt.cum legib. seqq.ff.de bonorum possess.l. si coheredi,4.in princ.ff.quis ordo in possess. seru. l.liber homo,59.§.cum quis ex institutis,3. §.fin. l heredes,63.l. si ita,66.ff.de heredib. instit.l.ciuitatibus 122 §.1.de legat.1.l.pater meus,29.§.1.& 2.ff.de legat.2.l.mortuo,49.§.vlt.l. si Titio,61.in pr. ib.l.1. §.si quis ex nepotibus,12 ff. de coniung.cum emancip.lib.l. si ex plurib 9.ff.de suis & legit.heredib l.hæc scriptura,26 §.1 ff.de cōd.& demonst.l.pater tuus, 2.C de hered. instit.* Ita si ex fundo fuisset aliquis institutus solus, valebit institutio, & detracta fundi mentione erit is heres omnium bonorum, *l 1 § si ex fundo,ff de hered.inst.* & vniuerse † qui certæ rei heres instituitur, coherede non dato, omniū bonorum hereditatem obtinet, *l.coheredi,41.§.fin ff.de vulg.& pupill substit.* Nec repugnat *l. circa ff de inoff.test.* Id enim (*vt ibid gl.* docet) ex posteriore facto euenit, & quidē in illo speciatim casu. Alioquin adeo hocce verum est, vt ne si velit quidem pro parte testari paganus possit, *d.l pen.§.2.d.l. ius nostrum,7.l lib. homo,59.§ vlt ff.de her. instit.d l. idem est 13.§.1.*& inuito reliqua adcrescit portio, *l. si quis heres.35.in pr.ff.de adq.vel omitt. her. l. si duo.38. l.qui ex duab.53 §.1.ibid.l.testamento,6.C. de impuberū & aliis substit.* Hoc † cum in paganis obtineat, militē nihilominus, qui libera voluntate testari potest, de parte bonorū vna aut pluribus testari posse, nec reliquam partem heredi instituto adcrescere, demonstrant dict. ll. Inde si miles vnum ex fundo heredem scripserit, creditur quantum ad residuum patrimonium intestatus decessisse, nec adcrescit id heredi scripto, *d. l. si miles*, quod in simili casu negat ius commune, *dict. leg.1. §.si ex fundo, ff. de heredib. institut.* Itaque si miles vnum ex parte heredem scripserit, in altera

51 52 53 54

parte nullum: in illa quidem scriptus succedit, in hac vero ab intestato heredes, *l. si duobus, 37. ff. hoc tit. l. 2. C. eodem.* Vniuerse autē hoc a voluntate militis dependet, *l. 1. C. h. t.* & ab hac omnem interpre-
55 tationem accipit, *d. l. 1. d. l. idem est, d. l. si duobus*, Itaq; † in hoc maxime vim iuris huius exsistere, credendum est, quod paganus ne volens quidē ex parte testari potest, ac si quidē de facto sic testetur, in effectu tamen reliqua portio alteri, de qua testatus est, adcrescit. Miles autem non de facto solum, sed de iure quoq; sic testari potest, vt in certa parte instituat heredem, cui reliqua pars non adcrescat, sed
56 ab intestato venientibus cedat. Hoc † tamen omne, si militem hoc modo testari voluisse constet, obtinere credendum. Nam si eum de parte testari voluisse certum non sit, adeoque nulla cur iure militari vti voluerit aut debuerit, præsumtio appareat, secundum ius commune testari eum voluisse censetur, *l. quanquam, 3. C. hoc. tit.* De
57 eo † igitur solo hac in caussa nondum certi sumus, quando testari hoc modo voluisse præsumatur, quando non? Triplicem de hoc opinionem affert glossa *in leg. 1. Codic. hoc titul.* Ego vniuerse dico, quotiescunque miles heredem in parte bonorum certa ac speciali instituerit, vt si aliquem ex fundo aut bonis castrensibus heredem scribit, quantum ad residuum patrimonium intestatum decessisse credendum, argumento tex. expr. *in l. si miles, 6. l. idem est. 13. in princ. & §. 1. l. si certarum, 17. §. 1. l. militis, 36. §. 1. l. si duobus, 37. ff. hoc tit. l. 1. & 2. C. eodem.* Satis enim expresse dict. *l. si duobus*, de parte militem testatum præsumi docet, nisi contraria eius voluntas probetur. Et omnes dictæ leges cum pluribus aliis, nullo argumento aut præsumtione militem pro parte testatum confirmant, quam quia certa tantum in parte heredem instituit. Quo refutantur omnes illi, qui præter hanc præsumtionem liquidiorem probationem requirunt. Nam eo ipso, quia in parte tantum & quidem certa heredē scripsit, reliqua in testato relinqui, nec illi adcrescere voluisse præsumitur, quod nec gl. negat *in d. l. 1.* Concessum † enim in
58 vno, in alio videtur prohibitum, *fac. l. cum prætor, in pr. ff. de iudiciis.* Et inclusio vnius est exclusio alterius, *l. cum ita, ff. de condit. & demonstr. l. Pomponius, 40. §. sed & is, ibi, cum iudicatur rem meam esse, simul iudicatur illius non esse, ff. de procurat.* Nec inficior, aliis quoq; argumentis & præsumtionibus idem probari posse. Nam † & illo casu, cum miles duos fecit heredes altero omittente, pars eius non adcrescit adeunti, sed intestatus pro ea parte defunctus videtur, *d. l. si duobus,*

& d. l.

t.d.l.1. C.h.t. quæ præsumtio obtinet, donec contrarium probetur, dd. ll. Ratio cur hic intestatus pro parte videatur, ea maxime habēda, quoniam eo ipso dum in illa altera parte alium instituit heredē, ad hunc eam partem peruenire noluisse præsumitur, quoad voluisse probetur. Quod si vero miles non rei certæ heredem scripserit, sed parteis tantum fecerit, & eo omnia contulerit, vt pro qua portione ei quisq; heres esse debeat, demonstraret, tunc etsi nō omnia bona in testamento expresserit, de omnibus tamen testari voluisse præsumitur. Exemplum est in *l. quanquā, 3. C. h.t.* vbi paterfamilias, qui filiam ex duabus vnciis, vxorem ex vncia heredes scripsit, de residuis portionib. quidquam significauit, in duas parteis totam hereditatem diuisisse, & duas filiæ, vnam vxori partem reliquisse videtur. Hoc tamen ipso casu, si ex verbis & aliis circumstantibus, patrem illis tres tantum vncias relinquere voluisse liquidius appareret: omnino & hic in reliqua parte ab intestato venienteis succedere dicerem. Dum vero, vt in dict. *l. quanquam*, indefinite loquitur miles, ex iure communi interpretationem non immerito Anton. sumsit. Hanc ego distinctionem & legibus conuenientem, & glossæ quoq; *in d. l. si miles, 6. in fin.* nō contrariam esse puto. De hac parte priuilegii disputat etiam atq; docet Iul. Clar. *lib. 3. sentent.* §. *testamentum, q. 16.* Sed omnia illa in hanc distinctionem doctrinamque recidere opinor.

Decimo, quod † in bonorum portione militi licet, hoc etiam in 60 temporis spatio, licet non modicum sit, ex eodē illi priuilegio licet, *d. l. miles, 41. in princ. ff. h.t.* Nam & ad tempus heredem facere potest, & alium post tempus, vel ex conditione, vel in conditionem, *l. in fraudem, 15.* §. *miles, l. querebatur,* 19. §. *vltim. ff. hoc tit. l. certi iuris, 8 C. eodem.* Itaque & sic instituere miles potest: *Quoad viuit Titius, heres esto: post mortem eius Septitius, dict. l. miles ita,* & sic: *Titius vsque ad annos decem heres esto*, nemine substituto. Quo casu post decem annos intestati caussa locum habebit, *dict. leg.* Et quia dictum est, posse eum ex certo tempore & vsque ad certum tempus instituere heredem, poterit hoc facere etiam non continuatis temporibus, vt antequam dies veniat quo admittatur institutus, intestati hereditas deferatur, dict. leg. Paganum autem ad certum tempus & ex certo tempore heredem instituere, veluti, *Post quinquennium quam moriar*, vel, *Ex Kalendis illis, vel vsq; ad Kalendas illas heres esto*: non posse, diemque adiectum haberi pro superuacuo, & perinde, ac si pure

heres institutus esset, Imperator ait, *Institut. de heredibus instit. §. heres pure, leg. hereditas 34. ff. eodem, fac. lex quæsitum, 34. Digest. de adoption.*

61 Vndecimo, de † testium solemnitate non immerito quæritur, vtrum in testamento militis negligi, vel penitus, vel ex aliqua parte possit. Duas autem parteis hæc solemnitas habet, vt numerus testium legitimus adhibeatur, vt ij sint rogati. Ergo primo, vtrum æque atque in pagani testamento septem testes in militis testamento esse debeant, quæritur. Hanc autem solemnitatem militibus nostris perinde vt ceteras remissam expresse demonstrat Imp. *Instit. hoc tit. in princip.* Et probat idem communis huiusce priuilegij ratio ac forma, quæ militibus toties tantaque vi & repetitione verborum, non tantum quomodo possunt, sed etiam quomodo volunt, testari permittit: vt supra *num. 6.* & alibi ostensum est. Itaque
62 hoc certi iuris est. Sed illud ambigitur, vtrum † hac solemnitate remissa, militibus omnino testium solemnitas, ita vt etiam sine teste vllo rata eorum testamenta habeantur, an septenarij tantum
63 numeri accurata obseruatio, remissa videatur? Et † communior opinio esse videtur, ad minimum duos requiri in militis testamento testeis, *argument. leg. Diuus Traianus, 24 ibi, conuocatis hominibus, ff. hoc t. Guido Papa in decision. Gratianopol quæstion. 543. num. 9. & 10. Et fac. eodem d. princip. Instit. hoc titul.* quod legitimum eis tantum te-
64 stium numerum remittere videtur. Contrarium † tamen his statuendum, apparet ex *leg. Lucius. 40. ff. hoc tit. l. milites, 15. Cod. eodem, l. licet inter, 19. Cod. de pactis,* quæ satis expresse militum testamenta, etiam nullo teste firmata, rata habent, tum vero ex eadem illa toties geminata huius priuilegii forma, quæ militibus, quomodo velint, & quomodo possint, testari permittit. Quod si ergo vel nolint vel nequeant duos habere testeis: non vtique saluum eis ac liberum ius sui priuilegij relinquemus? Quod si duos testeis habere cogantur, iam minime ad testamenti perfectionem nuda eorum sufficiet
65 voluntas. Quod tamen tot leges affirmant. Forte autem † aliquis distinguendum dicet, ac testamenta quidem in scriptis facta etiam sine teste vim habere ac valida esse censebit, *argumento dict. leg. Lucius, dict. l. milites,* nuncupatiua autem testes omnino requirere affirmabit. Ego autem vt vtrunque verum fateor, sic posterius tantum per accidens verum esse aio. Omnino enim & penitus vi huius priuilegii militibus, seu scripto, seu sine scripto testari velint,

sine testibus id facere licet, quippe si, vt dictum est, testium nihilominus aliqua solemnitas necessario requiritur, iam non omnibus vinculis solutos esse apparet. Ad hæc, si duo testes necessarij essent, vtique lege hoc aliqua expressum haberemus: vel ideo, quia alioquin tantum licentiæ militibus tributum est, vt nisi apertis legibus priuilegii restrictio admittenda non videatur. Iam nusquam vlla lex duos testeis requirit. Ex lege † enim *Diuus Traianus, 24.* infirmum plane ducitur argumentum. Non enim quia 66
lex ibi talem casum proponit, quo quis conuocatis hominibus eis voluntatem suam ostendit: ideo mox omnibus hoc iniungere voluisse existimandum. Semper namque legis propositum considerandum est, & quid sancire velit respiciendum: non autem ex eis, quæ per accidens exempli aut alterius caussa adiiciuntur, æstimandum, *fac. l. si quis nec caussam, 4. in princip. leg. rogasti, 11. ff. de rebus credit. leg. quæsitum, 78. in fine, de legat. 3.* Manifestum autem est, legem illam non de testibus in testamento militis agere, sed illud cauere, vt militum testamenta serio, & non per ludibrium aut leuitatem sermonis facta constet. Accedit, quod cum lex illa dicit, *Conuocatis hominibus*: neq; duos neque tres testeis requirit, quod nunquam omisisset, si certum numerum necessarium iudicasset. Idem plane ad *d. pr. Instit. h. t.* respondendum. Quare † cum nullibi 67
de testium solemnitate adhibenda in militum testamento quidquam cautum inueniamus, merito eis quomodocunq; testentur vi sui priuilegii circa testeis adhibendos liberam pronuntio esse voluntatem: ita tamen, vt talem fuisse eorum voluntatem legitimis probationibus ostendatur, *dict. leg. Lucius, 40. cum simil.* Itaque dum de voluntate militum constet, etiamsi nulli interueniant testes, testamentum ratum aio: si interim, vt † nuncupatiuam militum 68
voluntatem sine testibus vix posse probari fatear. Vbi tunc *ex leg. vbi 12. ff. de testibus, cum simil.* statuendum, quæ tali casu duorum testium probatione contenta est. Non itaque vt solemnitas duo testes in testamento militis adquiruntur, sed vt voluntatis eius, quam certam esse ipsius quoq; interest, *d. l. D. Traianus*, probatio legitima. Siquidem si alio modo probari voluntas posset, etiam sine testibus rata haberetur. Et hæc de testium numero.

Quæ † quisquis recte ad animũ reuocauerit, idẽ de altera quoq; circa testeis solẽnitate non difficulter iudicabit. Nam cum de iure cõmuni testeis, qui in testamento adhibẽtur, oporteat esse rogatos,

l.hac consultissima,21.C.de testament.l.heredes palam,21.§.1.ff.qui testam.
facere poss. vtrum idem in testamento militis obseruandum sit, quæ-
retur. Enimuero qui modo dictis de numero testium assenti-
tur,eum ab hac quoq; iuris communis solemnitate milites libera-
70 tu um nihil dubito. In contrariam † tamen partem penitus abire
video Iureconsultorum turbam, qui cōmuniter duos testeis roga-
tos in militis testamento requirunt, vt Bart. *in l.milites, 15.n.1.C.h.t.*
Iul.Clar.lib.3.sent.§.testamentum,q.58.n.4.communem esse sententiam af-
firmans.secundum Nattam in repet.§.ex imperfecto, post n.194. Guido Pa-
pæ in decis.Grat.q.543.n.10.Rom.cons.306.alligans Lapum alleg 30.qui idem
71 *allegat text. in c.relatum,de testam.&c.* Cum † distinctione tamen hoc
Bart.& reliqui inferunt. In conflictu enim & prælij discrimine ro-
gatos testeis nō requirunt: extra,requirunt,*dd.locis.* Sed huius sen-
tentiæ nec rationē nec fundamentum video, præter d. legis *D. Tra-*
72 *ianus,verba conuocatis hominibus,& d.c.relatum,de testam.* † Quomodo
autem *d.l.D.Traianus,* sit accipienda,& quam exiguam huic senten-
tiæ argumentationem præbeat,prius ostendi. De alio enim propo-
sito,quam testium solemnitate lex loquitur. Et illa verba,quæ alle-
gant,non in constitutionis ipsius tenore, sed in narratione casus
specialis,super quo Statilius Seuer. Imperatoris rescriptū petierat,
continentur. *Si,*inquit,*miles.de cuius bonis apud te quæritur, conuocatis*
ad hoc hominib. vt voluntatem suā testaretur,ita locutus est, vt declararet,
73 *quem sibi vellet esse heredem,&c.* Libet † iam quærere,vtrum hic casus
solum & facti fiat narratio,vt ego quidem censeo: an forma & ratio
quam testaturos milites sequi conueniat præscribatur? Si hoc; cur
non etiam illa colligunt? militem nonnisi nuncupatiuum facere
testamentum debere; item, nisi loqui possit, testari non posse, & si-
milia. Nam hæc in isto casu proponuntur. Sin quod verius est,ca-
sus tantum & factum recitantur: quæ inde argumentatio exstrue-
tur? Aliquis miles rogatos testeis adhibuit, aiunt, *argument. dict.l.*
Diuus. Ergo omnes id facere debent. Quare non sic quoque argu-
mentatur? Aliquis miles iure communi testari voluit: Ergo & reli-
qui id facere debēt. Sic igitur nihil ex ista lege ne probabiliter qui-
dem ratiocinari possunt. Multo vero minus ex *c.relatum.* Nam, vt
gl. ibid. innuit,patet illa sanctio tantum,quantum iurisdictio Pon-
tificis Romani. Potius igitur, sequentes accurateque seruantes te-
norem nostri priuilegii, quod milites, vt voluerint, potuerint,
testari iubet, testeis eos siue rogatos siue non rogatos adhibere
posse

posse dicamus. Nulla enim lege priuilegio derogatum vel minimum inuenies. Et cum ceteræ solemnitates remissæ sint militibus, cur huic soli eos subiiciemus? Cum item testis in nuncupatiuo militis testamento, non solemnitatis, sed probationis caussa requiri, ex præcedentibus intelligatur: ad probationem per testimonia conficiendam, non video inter testeis discerni, casu rogatuve rei gestæ affuerint. Ita & in hoc casu, sufficit taleis homines militi vltimam voluntatem serio exprimenti adfuisse, qui testes esse potuerint, siue rogati, siue non rogati interuenerint. Et cur militarem istam libertatem adeo restringere, latissimamque & plenissimam hanc indulgentiam arctioribus legibus, quam communia iura adstringere volunt? Expressis † enim verbis *l. vlt. in fin. C. de codicillis*, in codicillis, & in omni vltima voluntate (audis in omni vltima voluntate) excepto testamento, quinque testeis, vel rogatos, vel qui fortuito venerint, in vno eodemque tempore adhibendos ait, siue scripto siue sine scripto voluntas perficiatur. Vides, cum iura communia, quæ aliis tamen quibusdam solemnitatibus, vt quinque testium præfinito numero, & similibus, subiecta sunt, tamen ab rogationis testium necessitate eximantur: iniquissime eodem ius hoc maxime singulare atque liberum illigari? Sic in testamento parentis inter liberos duo testes fortuiti non rogati sufficiunt, *gloss. in l. vlt. in versic. quinque testes, C. de codicill.* Cur non & in militis testamento, quo vix alium maiorem circa testamenta libertatem indulgentia Principis accepisse constat? Sane ipsi † hæc se opinari magis quam pro certo statuere fatentur, dum quasi diffisi caussæ suæ distinguunt: & in conflictu quidem testium eis rogationem remittunt, extra vero omnino requirunt. Bartolus quidem, vt in conflictu positis priuilegium largiatur, allegat *l. milites, C. hoc tit.* Sed illam legem certum casum, & eum dedita opera extremum adducere, deque eo ita pronuntiare, vt interim alios ab hoc beneficio non excludat, omnes vident. Respicere autem ipsos puto ad necessitatem & discrimina repentina militum. Dicentibus enim, a militibus rogatos requiri testeis, illud occurrit, sæpe eos casus ac necessitates militibus incidere, vt non possint rogare testeis. Quia vero iniquū foret, eos vltimæ voluntatis arbitrio ab officio suo priuari; ideo his testeis rogatos remiserunt; obliti † interea, hoc esse militibus ab Imperatore datum, vt non tantum quomodo possint, sed & quomodo velint testentur: & potentiam qui-

74 75 76

dem seu facultatem, tum ad necessitates, quibus opprimi solent, tum ad imperitiam & simplicitatem eorum; voluntatem vero ad liberam animi ac sententiæ suæ dispositionem referri. Merito igitur hanc opinionem ab Interpretibus nostris nullo iure aut ratione introductam, contrariam vero sententiam priuilegio militum legibusque ceteris omnino consentire, adeo vt si maxime testes in militis testamento necessarii essent, rogati tamen an fortuiti forent, nihil interesset, censendum ac statuendum.

77 Duodecimo, circa † institutionem exheredationemq; & præteritionem liberorum, illud de iure communi seruandum est, vt liberi, qui in potestate sunt aut heredes instituantur, aut nominatim exheredentur. Quod si silentio prætereantur, testamentum inutile & ipso iure nullum habebitur, *Institut. de instituend. & exheredan. liber. in princ. l. maximum, 4. C. de liberis præterit. l. inter cetera, 30. ff. de liberis & posthum.* Et hæc communis opinio est, vt dicit Curtius Iunior *in authentic. ex caussa, num. 52. C. de liberis præterit. quem allegat Iul. Clar. lib. 3. sententiar. §. testamentum, quæst. 38. num. 1.* Nec sufficit mentionem filii in testamento factam, aut aliquid ei a patre relictum, quamuis id legitima maius sit: sed requiritur, quod sit relictum titulo institutionis, *§. aliud quoque capitulum, authentic. vt cum de appellatione cognoscit.* id censent omnes communiter, vt dicit Iason *in authentic. nouissima, num. 13. C. de inofficioso testament. & reliqui quos refert Iulius Clarus d. loco.* Nec refert etiam filius sit an filia, filius item vel nepos, iam natus vel posthumus. Omnes enim isti, nisi nominatim instituantur vel exheredentur, testamentum nullum esse constat, *dict. l. maximum, 4. & Institut. de exheredandis liberis, §. 1. & §. sed hæc.* Non licet item parenti aliquem ex liberis præterire vel exheredare nisi caussa expressa, *authentic. non licet, C. de liberis præteritis.*

78 Hæc † licet de iure communi ad hunc sese habeant modum, miles tamen in expeditione occupatus, cui, vt dictum est, testari licet, quomodo vult & potest, si testamentum faciat, & liberos suos vel iam natos vel posthumos non exheredet, sed silentio prætereat, non ignorans, an aliquos habeat liberos: silentium eius pro exheredatione nominatim facta valere, constitutionibus Principum cautum est, *§. penult. Institut. de exheredandis liber. l. qui iure, 7. l. si filiusfamilias, 33. l. miles, 41. §. 3. ff. hoc tit. l. 9. & 10. C. eodem, l. si patronus, 12. in princ. l. Paulus, 47. §. vlt. ff. de bonis libertor.* Non ignorans

an ha-

an habeat liberos, dixi: quoniam si liberos se habere, aut vxorem prægnantem esse nesciat, & ideo silentio eos prætereat, non valet testamentum, *l. militis, 36. §. 2. ff. hoc tit. l. 9. 10. C. eod. tit.* Veruntamen, qui † iure militari testatur, etsi ignorauerit vxorem prægnantem, 79
vel non fuit prægnans; hoc tamen animo fuit, vt vellet quisquis sibi nasceretur exheredem esse: testamentum non rumpitur, *dict. l. qui iure, 7.* vt nec sui heredis agnatione, licet is præteritus sit, dum hoc maluisse videtur, *legibus sequentibus ibidem.* Is item miles, qui testamento filiam suam appellauit, eique legatum dedit, non instituendo eam heredem exheredauit, *dict. l. si cum vel in vtero, 9. C. hoc titulo.* Hoc tamen † præterea notandum, communem es- 80
se hodie opinionem secundum Iasonem *in dict. l. si cum vel, cum lege præcedenti, Decium in eadem lege, num. 5. Ripam in l. centurio, num. 43. ff. de vulgar. Alexand. in authent. ex caussa, colum. 4. C. de liberis præteritis, gloss. & Azonem in l. 10. C. hoc titul. Angelum & gloss. in Institut. hoc tit in princip. in verbis, iure tamen communi, Iulium Clarum lib. 3. sententiar. §. testamentum, quæst. 42. num 3. Didacum Couarruuiam in tit. de testamentis, cap. 9. tom. 1. &c.* nisi cum caussæ adiectione, nec in militis testamento præteritionem pro exheredatione haberi. Quod mihi tamen, cum leges hactenus allegatas, quibus præsens ius militibus tribuitur, diligentius inspicio, nõ omnino persuadent. Quæ enim caussa in posthumo, in eo, qui adhuc in vtero, imo nondum in vtero est, *d. l. qui in iure, 7.* inueniri vel exprimi potest? Horum tamen omnium præteritio pro exheredatione habetur: vt *d. leges* clarissime docent. Quid igitur in disquisitionem vocetur, sciuerit se liberos habere testatus, an minus, si vtique caussa exprimenda est? Quomodo enim vnquam caussam adiiciet, qui, an liberos habeat, ignorat? Sic igitur leges accipere debemus, vt nihil superflui aut elusorii contineāt. Quin vero ad ius commune hoc totum redigeretur. Si enim, vt paganus, sic miles, caussam exprimere vtique debet, sequitur, nec militem quidem præterire liberos posse. Eius enim, qui caussam non adiicit, militis præteritionem nullam esse volunt. Qui vero caussam addit, non video, quomodo hoc facere possit, vt non liberorum quoq; mentionem faciat. At liberos, quos exheredes velimus exprimere, & caussam reddere, non præterire, sed exheredare est. Simile † est, quod cum militis filiifami- 81
lias de castrensi peculio factum testamentum, querelæ inofficiosi subiacere negant, *leg. 9. & leg. vltim. Cod. de inofficioso testamento,*

l.Papinianus,8.§.si quis in militia,l.si instituta,27.§.de inofficioso ff.eodem, Contrarium tamen affirmat gloss *in d.l.vlt.in verbo,testamento,& in d.l.Papinianus,8 §.Papinianus*,arg.*auth.vt cum de appell.cognosc.§.aliud quoque,vers.sancimus itaq;, & auth.de sanct.Episc.§.presbyteros, C.de Episc.* Eamque communem esse opinionem, ait Fulgos. *in repetit.auth.ex caussa,num.7.Alexand.in l.nemo,in fin.C.qui testamenta facere possunt,Ias. in d.l.fin.num.5. C.de inoffic.testament. Curt.Iun.in d.authent.ex caussa, num.49. Ripa in d.l.centurio, post num. 43 ff.de vulgar.quos refert Clar. in d.§ quæst.48. num.2.* Sed cum leges illæ priores tam expresse a querela milites liberent, hæ vero posteriores a glossa productæ, nihil de militibus, sed partim de iure communi, partim de clericis loquantur: non video, quomodo aut vbi ius illud tam apertum tam
82 expressum, correctum, aut mutatum inueniatur. Iure enim † non corriguntur, nisi quatenus exprimuntur, *l.præcipimus, in fin. C.de appellat.* & quod mutatum expresse non est, stare non prohibetur, *l.sancimus, 27. Cod.de testament.* Nec a disparatis argumentatio-
83 nem firmam esse puto: cum quod inter † alios actum est, aliis nocere non debeat, *l.in caussæ,13.in princ.l.29.l.vlt.ff.de minoribus,l.seruitutes,14.§.vlt.ff.de seruitut.l.quia,10.ff.de iureiurand.l.non debet,ff.de regulis iur.* Filios igitur familiæ milites liberam habere in peculio castrensi tum vndique tum in heredis institutione facultatem, legibus consentaneum esse opinor.

84 Decimo tertio, fauore † militum & priuilegii præsentis efficacia institutio obliqua trahitur ad directam, *l.idem est,13 final. & l.sequenti, l.quærebatur, vbi Bart.ff.hoc tit.* Exempli caussa, si miles in testamento seruo suo libertatem dederit, eidemque & a primo & a secundo herede per fideicommissum hereditatem reliquerit; quamuis & primus heres & substitutus ante aditionem mortem obierint: non tamen intestatus intelligitur ille decessisse, sed perinde habetur, ac si eidem seruo libertas simul & hereditas directo data essent: quæ vtraque ad eum peruenire testatorem voluisse, negari non potest, *d.l.idem est, 13.* In paganorum vero testamento tunc demum subueniri solet, cum ignorante aut mortuo testatore hæc veniunt: viuo autem & sciente nihil noui statuitur, *l.sequenti, ibid.l.sancimus,7.§.cum autem,C.ad Senatusconsult.Trebellian.l.facta,63. in fin.ff.eodem.*

Decimo quarto, quod ad substitutiones, extraneo heredi filiove puberi heredi instituto directo substituere pagani non possunt; ita

ita videlicet, vt si heredes illi exstiterint, & intra aliquot tempus decesserint, alius sit eis heres: sed hoc solum permissum est, vt cum per fideicommissum testator obliget ad hereditatem eius vel totam vel pro parte alii restituendam, *Instit. de pupillar. substit. §. vlt. l. 2. l. verbis, 7. ff. de vulgar. & pupillar. substit. l. in testamento, 6. C. hoc tit.* Miles † vero beneficio priuilegii militaris tam puberi filio, quam e- 85
mancipato & extraneo directo substituere potest, *l. milites etiam, 5. vbi Bartol. l. miles ita, 41. §. penult. ff. hoc tit. l. in testamento, 6. C. eod. l. centurio, 15. ff. de vulgar. & pupillar. substitut.* Quod ius tamen in his tantum exercebitur, quæ ab ipso testatore ad eum, cui substituit peruenerint, & in fructibus horum non etiam in his, si quæ habuerit, vel postea adquisierit, *dictis legib.*

Decimo quinto, iure communi hereditas codicillis neque dari neque demi potest, ne confundatur ius testamentorum & codicillorum, eoque nec exheredatio scribi. Directo videlicet hoc fieri nequit. Nam per fideicommissum hereditas codicillis iure relinquitur, *Institut. de codicillis, §. codicillis, l. 2. §. vlt. ff. de iure codicillor. l. 2. C. eodem.* At † militis codicillis ad testamentum factis etiam di- 86
recto hereditas iure dari videtur, tam tota, quam partim, *l. milites, 3. ff. hoc tit.* Vnde si partem dimidiam hereditatis codicillis dederit, testamento scriptus ex asse heres partem dimidiam habebit: legata tamen testamento data, communiter debentur, *d. l.*

Decimo sexto, Falcidiæ legis ius omnibus notum esse opinor, quo heres institutus ex legatis & fideicommissis, qualiacunq; sunt quartam partem detrahere potest: vt passim *ex titul. Cod. Digest. & Institut. de lege Falcidia* discimus. At † in militis testamento legem 87
Falcidiam tam in legatis, quam fideicommissis cessare, explorati iuris esse, ait *l. in testamento, 12. C hoc tit. l. si certarum, 17. § vlt. l. sequenti, ff eodem, l. in testamento, 7. C. ad legem Falcidiam, l si post missionem, 17. l. si miles, 92. l. fin. ff. eodem, facit l. vlt. C. hoc tit.* Quod tamen † abroga- 88
tum hodie & ad ius commune redactum, aiunt glossa & Bartol. *in auth. de heredib. & Falc. §. vlt. vers. vlt. & Dyn. in l. 1. §. in filii, ff. ad Trebellian.* eamque communem esse hodie Doctorum sententiam affirmant: argumento *d. authent.* in cuius fine Imperator: *Hæc,* inquit, *omnia obtinere similiter, & secundum æquam obseruationem, & in non scriptis testamentis, & in omni vltima voluntate sancimus, & in omni persona, siue priuata, siue militari, siue sacerdotali, siue imperiali, siue alterius cuiuslibet. Communem namque omnibus hominibus hanc legem ponimus.* Sed

89 præterquam, † quod non omnibus id Doctoribus videtur, vt ex dicta glossa apparet, ne veri quidem simile videtur, Romanum Principem, qui iura tam singularia, quam vniuersalia tuetur, vno verbo tanta cum affectione tamque expresse ac solemniter militibus tantum ius euertere voluisse, *l. si quando, in princ. C. de inofficioso testa-*
90 *mento.* Nemini enim † suum leuiter Princeps adimit, vt *lib. 3. de priuilegiis iuris ciuil.* ostensum: nec imperialis maiestatis proprium
91 est auferre concessa, *authent. de referendar. palatii.* Stare † igitur debet, quod expresse mutatum non inuenitur, *l. sancimus, 27. C. de testament. l. præcipimus, 32. in fin. C. de appellat. authent. quibus modis natura-*
92 *les efficiantur sui, §. tribus.* Et faciunt huc † multo maxime iura & rationes illæ, quibus *in lib. 2. de priuilegiis iuris ciuil. cap. 5. num. 38. & seqq.* abunde docui, non modo singularem, sed ne vniuersalem quidem legem priuilegio derogare, nisi expressam faciat eius mentionem, *l. decurionibus, 3. C. de silentiar. lib. 12. l. ex quo pace, 12. C. de ædificiis priuat.* Et nunquam generalem legem singularia tollere præsumi, nisi expressa id verba demonstrent, satis ostendunt *d. l. præcipimus, & d. §.*
93 *tribus, cum similib.* Constatque, † generalem dispositionem tum demum res & casus priuilegiatos comprehendere, cum illa non reperiuntur in specie priuilegiata circa illos casus, de quibus agitur, *l. in fraudem, 15. §. vlt. vbi Bald. ff. hoc tit. l. vlt. C. de sentent. quæ sine certa quantitate proferuntur, l. 3. C. de dotis promiss. Dd. quos refert Lud. Schrader. in tract. feud. part. 10. sect. 5. num. 35.* Imo legum hæc & Doctorum communis sententia est, dispositionem generalem legis vel statuti non extendi ad caussas specialiter priuilegiatas in illa materia, de qua lex vel statutum loquitur, *l. fin. in princ. vbi Salycet. C. de iure dot. Ias. in l. coheredi, 41. §. quia discretas, notab. 4. ff. de vulgari & pupillari substitut. Tiraquell. in tract. de vtroque retract. part. 1. §. 1. gloss. 14. num. 91. cum seq. num. 104. facit l. si adulterium, 38. §. liberto, ff. ad leg. Iul. de adult. l. decurionibus, 3. & ibi gloss. Bartol. & Ioan. de Platea C. de silentiar. facit l. spem, 5. C. quæ res pignori oblig. non poss. pluribus Ludouic. Scrader. in doctrina feu-*
94 *dorum part. 2. part. nonæ princ. sect. 13. num. 29.* Dictum † enim generale ad extraordinaria non refertur, *l. Seio, 10. §. medico, & ibi Bart. ff. de annuis legat.* nec generalis clausula illa comprehendit, de quibus in specie est determinatum, *text. elegans in l. sanctio, antepenult. ff. de pœnis, & in l. doli clausula, 119. ff. de verborum obligationib. l. qua-*
95 *ro, 39. ff. de actione emti & venditi.* Iam † si rectius tum generalem in dicta authentica clausulam, tum vniuersalem constitutionem inspiciamus,

ſpiciamus, ius eam commune illuſtrare ac definire, non ſingularia certis perſonis ac rebus competentia iura abrogare, manifeſtiſſimum eſt. Nec dubium, ſi non generale tantum, vt ſæpe alias, ius condere Imperator, ſed & priuilegia illius generis omnia abrogare voluiſſet, quin mentionem aliquam ſui inſtituti feciſſet. Sed id nunquam facit. Imo contra *in* §. *hinc nobis*, *verſicul. ſi vero*, quaſi confirmat, cum teſtatoris volentis vtique heredem ab Falcidia abſtinere, voluntatem omnino ſeruandam eſſe ait. Quas ob cauſſas non video ſatis rationis, cur expreſſas iſtas leges hoc ſolo & tam generali ac indefinito verbo abrogatas cenſeam.

Decimo ſeptimo, vt † in legatis Falcidiam, ſic in fideicommiſſis Trebellianicam ceſſare, aiunt, *d. l. in teſtamento*, 12. *C. hoc tit. l.* 1. §. *denique*, *ff. ad Senatuſconſultum Trebellian. l. cogi*, 6. § *ſed & ſi miles*, *l. Marcellus* 3. §. *quod autem*, *ibid. l. ſi a milite*, 29 *in princ. ff. hoc tit.* Obiiciatur forſitan *d. l.* 1. § *filii*, *ff. ad Senatuſconſultum Trebellian.* quæ in filii quoque familias militis iudicio Senatuſconſultum ait locum habere. Sed id quod alia remedia, non vt quarta detrahi poſſit, intelligendum, conſtanter affirmat gloſſa *in d. l. &* §. *vlt. & in d. l. in teſtamento, & in d. l. ſi a milite*, 29. Priuilegium enim hoc, in quibus caſibus iure ſpeciali nõ regitur, ſecundum ius commune æſtimatur, *l. ſi a milite*, 29 §. *edictum. ff. hoc tit. l.* 3. *C. eod.* vt & cetera priuilegia omnia ex iure communi interpretationem quandoque accipere, *lib.* 2. *de priuil. iur. ciuil. cap.* 3. *num.* 41. docuimus. Et ſic † quoad quædam locum habet in teſtamento militis lex Trebelliana, quoad quædam (quartæ videlicet detractionem) non habet: vt Accurſius dixit. 96 97

Eodem † quoque teſtamento miles eundem heredem, & dein de exheredem ſcribere poteſt, *l. ſi certarum*, 17. §. *ſi eodem*, *vbi gloſſ. & Bart. ff. hoc tit.* 98

Deniq; licet inter priuatos huiuſmodi ſcriptum, quo comprehẽditur, vt is, qui ſuperuixerit, vlterius rebus potiatur, ne donationis quidem mortis cauſſa efficaciter geſtæ ſpeciem oſtendat, *l. licet inter*, 19. *C. de pactis*, *l. hereditas*, *C. de pactis conuentis*, tamen cum voluntas † militum, quæ ſuper vltimo vitæ ſpiritu deque familiaris rei decreto, quoquo modo contemplatione mortis in ſcripturam deducitur, vim poſtremo obtineat; ſi duo milites ad diſcrimen prælii pergẽtes, ob communem mortis fortunam inuicẽ paciſcantur, & ad eum, qui ſuperſtes fuiſſet, res eius, cui caſus finẽ vitæ attu- 99

liſſet, pertinerent: exſiſtente conditione, ex defuncti iudicio (quod principalium conſtitutionum promto fauore firmatur) rerum eius compendium ad ſuperſtitem defertur, *text. in d. l. licet inter.*

100 Ex † his igitur hactenus commemoratis ſatis apertum manifeſtumque eſſe opinor, quomodo priuilegium præſens, quo militibus, quemadmodum volunt atque poſſunt, teſtari permittitur, intelligendum, & quatenus libera, quæ eis datur teſtamenti factio, accipienda. Vniuerſe autem hanc eſſe huius priuilegii vim atque ſummam iterum aio, vt nuda voluntas militum, quæcunque illa ſit, teſtamento ſufficiat, dummodo vere hanc illorum fuiſſe voluntatem conſtet.

101 Ideoque vt cetera † priuilegia pleraque, ita præſens inprimis pleniſſime ſemper interpretari debemus, quoniam pleniſſima hęc indulgētia eſt, *l. 1. l. quod dicitur, 38. in fin. ff. hoc tit.* & ab ipſis legib. hoc fieri multis in locis cauſſiſque videmus. Rem vno exemplo ſatis digno ſcitu notaſſe ſufficit, quod eſt *in l. ex his verbis, 7. C. hoc tit.* Hæc verba, *Fortunato liberto meo do, lego*, in pagani teſtamento ſi ponātur, ſiquidem Fortunatus ille ſeruus ſit, libertatem ſibi vindicare nunquam poterit, vt neque legatum, *l. ſeruis, 4. C. de legatis, l. cum ſeruus, 4. C. de neceſſar. ſeruis hered. inſtit.* At ſi miles fuerit teſtator, nec errore ductus libertum crediderit, ſed dandæ libertatis animum habuerit, adeo ſe militaris teſtamenti benigna interpretatio extendit, vt etiam, quod non expreſſe collatum inuenitur, & libertas ſeruo directa & legati vindicatio competat, *d. l. ex his verbis, 7. l. Lucius, 40. ff. eodem.* Adeo quidquid militis vltima voluntas nutuſque oſtende-
102 rint, Imperator & leges velle videntur. Voluntas † enim militis, & forma, & fundamentum, &, vt ſic loquar, anima eſt teſtamenti militaris, *l. 1. l. miles, 35. l. ſi duobus, 37. l. in fraudem, 15 §. 1. l. cum filiusfamilias, 28. l. eius militis, 34. in fin. l. 11. C. hoc tit. & ſimilib.* Ideo ex hac omnis interpretatio teſtamenti ſumenda eſt: vt quidquid voluntas militis expreſſerit, quantulumcunque ſolemnitatibus iuris communis repugnauerit, ſeruandum ſequendumque ſciamus. Et vt in priuilegiis alias ad voluntatem conditoris, vt *lib. 2. de priuilegiis iuris ciuil. cap. 3. num. 6.* monuimus, ſic in teſtamentis his ad voluntatem militis reſpicere debemus. Quo loco ſi aliæ probationes deſint, coniecturæ, præſumtiones, & ſuper omnia iudicis cognitio prudentiaque valebunt, *d. l. in fraudem, §. 1. l. tribunus, 20. §. 1. ff. hoc tit.* Illud hoc

loco probe † tenendum, testamentum iure ac tempore militiæ fa- 103
ctum, etiam post missionem, sed anno tantum sequenti valere: ita
vt tale testamẽtum, siquidem intra annum post missionem deces-
serit testator; easdem habeat vireis, ac si in militia decessisset: post
annum vero a missione elapsum, nullum hoc idem fiat, *l. quod consti-
tutum est, 21. l. testamenta, 26. l. eius militis, 34. §. 1. l. militis, 36. §. vlt. l. quod
dicitur, 38. §. 1. ff. h. t. Instit. eod. §. sed hactenus, 3. l. Papinianus, 8. §. si quis in
militia, 4. ff. de inoffic. testam.* Verum cum triplex † sit missio, honesta, 104
caussaria, ignominiosa: de illis tantum, non etiam de his, qui igno-
miniæ caussa missi sunt, leges loquuntur, *d. l. testamenta, 26.* Quod si
item intra † annũ quis decesserit, conditio autem heredi adscripta 105
post annum exstiterit, nihilominus testamentum militare valet, *d.
§. sed hactenus, d. l. quod dicitur, 38. in princ. l. necessario, 8. in princip. ff. de
periculo & commodo rei vend.* Ita vicissim testamentum † ante militiã 106
factum, si testator postea demum factus miles, in militia decesserit,
iure militari valet, si hoc voluisse miles, aut certe non noluisse pro-
bari potest, *l. idemq; 9 §. 1. l. in fraudem, 15 §. testamentum, 2. l. tribunus,
20. §. 1. l. Titius, 25. ff. h. t.*

Ceterum † quamuis hæc ita comparata esse, & priuilegium mi- 107
litum plenissimam interpretationem habere videamus: sic tamen
hæcce omnia extendere atq; interpretari debemus, vt legibus ac
indulgentiæ Imperatoris conueniat, ac vt non minus, ita nec am-
plius quam verba & propositum conferentis patiuntur, tribuant.
Nam & ipsas leges id facere non raro videmus, vt *l. si certarum, 17. §.
vlt. l. miles, 41 §. 1. & seqq. ff. h. tit. &c.* imo verbis quoq; tenacius insi-
stunt, *vt in l. quod constitutum est, 21. ff. h. tit.* Itaq; in his † illud maxime 108
omnium videndum, vt non protinus quidquid miles voluit, sed di-
catur, ꝓ rato amplectamur, sed an illud & quatenus miles voluerit,
legitimis probationibus signisq; inuestigemus, *l. Diuus Traianus, 24.
l. Lucius, 40. in princip. ff. hoc tit. §. 1. Instit. eodem.* Nec enim vllius ma-
gis interest, quam ipsorum, quibus id priuilegium datum est, eius-
modi exemplum non admitti. Alioquin non difficulter post mor-
tem alicuius testes exsisterent, qui adfirmarent, se audisse aliquem
dicentem, relinquere se bona cui visum sit: & per hoc iudicia vera
subuerterentur, *d. l. Diuus Traianus, 24.* Itaq; † vt in omnib. sic præ- 109
senti quoque priuilegio id maxime curæ esse interpreti debet, ne
quod fauore talium constitutum est, ad læsionem contraque com-
modum eorum interpretatione duriore producamus: vt recte mo-

110 nitum *lib.2.de priuilegiis iur.ciuil. cap.3. num.44.* Verum vt † priuilegiario, sic neque tertio nocere priuilegium militis debet, *l. in fraudem, 15. in princip. l. si certarum, 17. §. 1. & ibi gloss. in verbo soluere, l. cum filiusfamilias, 8. in fine ff hoc tit. l. captatorias, 11. Codic. hoc tit. l. impuberi, 40. ff. de administrat. & pericul. tut.* Itaque & de castrensibus tantum miles viuo patre, non etiam de hereditate patris testabitur, *l. ex militari, 11 § vltim. l. sequenti, ff. hoc tit.* In tertii enim præiudicium, fraudem, iniuriam, priuilegium neque dari neq; intelli-
111 gi, *in d.c.3.n.49.* satis est & supra ostensum. Quapropter † & in extendendo hoc priuilegio modus ille seruandus, quem supr. vniuerse de priuilegiis militum non nimium dilatandis tradidimus, & inprimis hic regula *in d.l. impuberi, 40.* expressa tenenda, quæ non aliis quam militibus armatis huius priuilegii veniam datam ostendit. Ideoque hoc priuilegium soli militum personæ cohæret, nec ad heredes eorum, vel alios transit. Nam in eo, quod venit expediendum per ipsum militem, est remissa solemnitas, sed in eo, quod venit expediendum per iudicem vel heredem non est remissa, vt ait
112 Bartolus *in l.1. ff. hoc tit. & fac l. ex militari, 11. §. vltim. l. in fraudem 15. §. vltim. vbi Bartol. ff. eodem.* Ita † priuilegium militis non tollit delictum scribentis, *d.l. in fraudem, §. si quis & ibid. Bart.* & Senatusconsultum Trebellianum cessat respectu militis, nō fideicommissarii,
113 *l. si a milite, 29. in pr ff. h.t.* Postremo notandum, priuilegium † hoc, in quib. iure speciali nō regitur, ex iure communi æstimari solere, *l. si a milite. 29. §. edictum ff. h.t. l.3 C.h.t. d.l. impuberi, 40. ff. de administ. & peric. tut. l.1. §. in filij, ff. ad Senatusc. Treb.* Quæ breuiter de interpretatione huius priuilegii dicere volui. Quibus si tum ea, quæ *in lib. de priuil. iuris ciu.* de omnium priuilegiorum interpretatione generatim, tum in specie de priuilegiis militum paulo ante dicta sunt, adiunxeris, satis & omnino te priuilegium hoc intellecturum spero.

114 De concursu † huius & alieni generis priuilegiorum cum præsenti, satis multa atq; aperta, tum illic, tum hic antea diximus. Itaque hæc tantum in hac parte breuiter monebo Testamentum nimirum, quod iure communi miles fecit, eo quod postea miles iure & tempore militiæ fecit rūpitur: adeo vt licet posterius quoq; post annum militiæ decedente illo irritum fiat, prioris tamē nunquam redintegrentur vires, *l. militis, 136. § vlt ff. h. t.* Quod si vero iure cōmuni testetur miles, siue in militia siue extra eam, testamentū illud altero post militiam incoato & imperfecto non rumpitur, *l. eius*

militis,

militis,34.§.1.ff.h.t. At militari iure factum testamentum, posteriore eod. iure facto semper rumpi constat, *d.l. in fine.* Nouissima enim semper voluntas militis testamentum est, *ibidem.* Imo vero & post militiam incoato & imperfecto testamento eius iure militari factum rumpitur, *d.l. §.1.* Denique si duo exstent diuerso tempore a milite facta testamenta, prius non vtique semper totum a posteriore rumpetur: sed tantum solum ex prioribus tabulis abstulisse videtur, quantum in posteriores contulerit, *l.militis, 36.§ 1.ff.h.tit.* Veluti, si priorib. tabulis, alium in castrensibus bonis, alium in non castrensibus instituerit, aut vnum aliquem in vtrisque: posterioribus autem alium quendam in castrensibus solis instituerit: testamentum prius non omnino, sed tantum quoad castrensia bona mutatum voluit, sic vt hæc quidem in posterioribus institutus habeat heres, non castrensia autem ille, cui hæc in prioribus dedit. Hæc satis.

De amissione atq; fine huius priuilegii, quæ dici possunt, omnia generalibus supra *lib.*1. traditis regulis continentur. Pauca tamen apertius nonnihil exponere operæ pretium esse videtur. Igitur priuilegiis minime omnibus militem renuntiare posse supra ostendi. Huic † autem, vt quod solius militis caussa introductum ab eodem 115
solo dependet, libere renuntiare potest, *fac l. si miles, 3. l. in fraudem, 15 lib.1.l.eius militis, 34.§ 1.ff.h.t.* Ceterum cum actu contrario eoque vnico renuntiari priuilegio *lib. 3. de priuileg. iur. ciuil.* dixerim, non immerito, an qui iure communi testari destinauerit, renuntiasse videatur priuilegio? quærendum. Et in paganorum quidem testamentis, testator, qui decreuit facere testamentum, si id adimplere nequiuerit, intestato videtur esse defunctus: nec transducere licet ad fideicommissi interpretationem, velut ex codicillis, vltimã voluntatem; nisi id ille complexus sit, vt vim etiã codicillorum scriptura debeat obtinere: illo electionis iure videlicet perdurante, vt qui ex testamento agere voluerit, ad fideicommissum migrare nõ possit, *l. vlt. C. de codicill. l. hac consultissima. 21. §. ex imperfecto, C. de testa.* At in milite † omnino diuersum probatur, *l.3.h.t.* Neque .n. qui voluit iure cõmuni testari, statim beneficio militari renuntiauit. Nec credendus est quisquã genus testandi eligere ad impugnãda sua iudicia, sed magis vti eoq; genere voluisse propter fortuitos casus, &c. vt loquitur *d.l.3.* & facit *l. Claudius, antepen. ff. de adq. vel omitt. her. l. quia autem, 6. ff. si quis omissa causs. test. l. si quis stipulatus, 112. ff. de verb. oblig.*

l.eum, qui, 138. §. ibid. l. fin. C. de codicillis, l. homine. 18. ff. de optione vel ele-ction. legata.

117 Delicto † priuilegium præsens non omni amittitur. Supra enim hoc priuilegio *num. 20.* ostensum est, ex militari delicto damnatis, solis qui sacramenti fidem ruperunt exceptis, testari iure militari licere. Manent igitur hi omnes milites, & ius militare retinent. Vniuerse autem hoc verum est, non ex delicto modo, sed omni caussa, quo militis quis nomine, ex eodem & iure priuari, *fac l. a nullo, 4. C. de feriis.* Vnde miles ob delictum ignominiæ caussa missus, ius militis amittit, *l. testamenta, 26. ff. hoc tit. & similibus.* Vt desertor quoque, *l. desertorem, 3. ff. de re milit.* & qui missionem accepit, *l. si certarũ, 17. §. vlt. l. idem et si, 23. l. idem est, 13. § 1. ff. hoc t. §. sed hactenus, Institut. eodem,* aut successore accepto militare desiit, *l. tribunus, 20. in princ. & l. seq. dict. tit.*

118 Ceterum cum, vt † in præcedentibus, velut *lib. 1. cap. 4. num. 7. & 17.* & hoc priuilegio *num. 11. & seq.* dixi, non sufficiat militem esse, si priuilegio hoc vti velis, sed vt in militia quoque & expeditione sis necesse est: ita priuilegium idem ille quoq; amittit, qui miles quidẽ permanet, sed citra expeditionis necessitatem in aliis locis vel suis sedibus agit. De quo cum abunde supra d. locis docuerim, superuacuum erit, plura hic commemorare.

Hæc de plenissima hac & amplissima circa testamenta indulgẽtia paulo pluribus dicenda fuerunt. Nunc ad alia pergamus.

PRIVILEGIVM XVII.

Militibus hereditatem adituris solemnitates & subtilitates circa confectionem inuentarii remissæ.

EPITOMA.

1 *Priuilegium militare circa ius deliberandi vetus.*
2 *Milites etsi subtilitates circa confectionem inuentarij neglexerint, non vltra tamen tenentur, quam in hereditate inuenerint, & n. 6.*
3 *Bartolus hoc priuilegio militibus confectionem inuentarij remissam opinatur.*
4 *Authentica de hered. & Falcid. §. vlt. sententia.*
5 *Militibus confectio inuentarij non est remissa.*

7 Here-

7 *Heredibus longe positis anni spatium a morte testatoris ad confectionem inuentarij datur.*

CIrca ius deliberandi & aditionem heredis duo militum priuilegia occurrunt, sed alterum abrogatum & in ius commune redactum. Hoc enim † D. Gordianus militibus concesserat, vt si 1
per ignorantiam adissent hereditatem, pro his tantummodo reb. conuenirentur, quas in hereditate defuncti inuenissent; ipsorum autem bona a creditoribus hereditariis non inquietarētur, *l. vlt. in princ. C. de iure delib.* §. *extraneis*, *ſ. de heredum qual. & diff.* Postea vero Iustinianus Imp. commune omnib. Imperio subiectis hoc beneficium præstitit, constitutione noua, æquissima & nobilissima promulgata, *ibid.* qua quisquis inuentario intra dies triginta cum ceteris *in d. l. vlt.* requisitis facto, adierit hereditatem, seq; immiscuerit: hereditatem sine periculo habere, & legis Falcidię aduersus legatarios vti beneficio potest: vt in tantum creditoribus hereditariis teneatur, quantum res substantiæ ad eos deuolutæ valent, & eis satisfaciat, qui primi veniunt, creditorib & nihil ex sua substantia penitus amittat, ne dum lucrum facere sperat, in damnum incidat, &c. *d. l. vlt.* Ad hunc ergo modum vetus a Gordiano militibus datum priuilegium ius commune euasisse videmus.

Sed alterum † recentius ab Iustiniano profectum est Imperato- 2
re, qui milites, etsi propter simplicitatem dictæ leg. vlt. subtilitatem non obseruauerint, in tantum tamen teneri, quantum in hereditate inuenerint, iussit *in d. l. vlt. in fine.* Hoc priuilegium Bart. *in d. l.* 3
vlt. ita exprimit, vt militem non conficientem inuentarium vltra vireis hereditatis non teneri dicat. Et hunc quidem esse tenorem priuilegii ait. Dubitat interim, an per authentic. *de hered. & Falcid.* §. *final.* correctum videatur. Id affirmare veretur, ne & Ecclesiæ & personis Ecclesiasticis idem auferat: quibus eadem cum militibus priuilegia esse iubet. Ceterum quod † ad *dict. authent.* §. *vltim.* atti- 4
net, iam prius priuilegio præced. *num.* 88. *& seqq.* quomodo hæc accipienda, & quam nihil priuilegiis militum deroget, ostendi. Quapropter vt circa Falcidiam, ita circa inuentarii confectionem, nihil militibus periculi per illam auth. esse opinor. Vicissim nec pro stabiliendo præsenti priuilegio quidquam facere illam rationem putauerim, ne cum militibus Ecclesiasticæ quoq; personæ atq; res eodem priuentur. Nam præterquam quod supra, minime militum

armorum priuilegia clericis competere probaui, clericos quoq; ad confectionem inuentarij teneri, cenſet Abb. *conſ.34.vol.1.& conſ.73. in fine, vol.2.* & probat Io. Andr. *cum Hoſtienſ. in c. Eccleſia, vt lite pendente, &c.* Ipſum igitur huius priuilegii tenorem ac ſententiam non
5 recte a Bartolo & aliis expreſſam aio. Nego enim † militibus confectionem inuentarij remiſſam. Aperte quippe Imp. quoad confectionem inuentarii, & ſummam huius conſtitutionis militũ cauſſam cum ceteris coniungit. *Cum enim,* inquit, *ampliore tractatu habito, melior exitus inuentus ſit, & tribus conſtitutionib. in vnum congregatis, vnus appareat & in milites & in alios omneis iuris probabilis articulus.* Vides, non ab initio modo legis militum cauſſam ſub ius commune redigi, ſed & poſtremo ſub eodem cum aliis articulo iuris conſtringi.

6 Quod ergo † tandem hic milites priuilegium habere dicendũ? Id ex verbis dictæ legis, modo hæc diligenter ſequi, nec quid vltra affingere libeat, ſatis manifeſtum opinor. *Milites,* inquit, *etſi propter ſimplicitatem præſentis legis ſubtilitatem non obſeruauerint, in tantum tamen teneantur, quantum in hereditate inuenerint.* Non ergo ab lege penitus, ſed a ſubtilitate militis eximuntur. Itaq; ad conficiendum inuentarium milites adeunteis perinde vt ceteros teneri, ſi ſine periculo ſuo hereditatẽ adire velint, aio. Solemnitates autem & ſubtilitates temporis, ſcripturæ, & ſimilia, quæ ad confectionem inuẽtarii lex dicta requirit, eis propter ſimplicitatem remiſſa dico. Ita
7 enim, ſi † a locis, in quib. res hereditariæ, vel maxima pars earũ poſita eſt, heredes abeſſe contigerit, his quoq; triginta dierum ſpatiũ prorogatur, & anni ſpatium a morte teſtatoris numerandum ad inuentarii conſummationem datur, *&c. d. l. vlt. §. ſin autem.*

PRIVILEGIVM XVIII.

Militis inteſtati & ſine herede defuncti res ad vexillationem pertinent.

EPITOMA.

1 *Militis defuncti inteſtati & heredem legitimum non habentis res, ad vexillationem, in qua militauit, pertinent.*

2 *Vt & nauicularij ad corpus nauiculariorum, cohortalis ad ceteros cohortaleis, curialis ad ordines patriæ, &c.*

Regula-

Regulariter intestatis, qui sine legitimo herede decesserint, fiscus succedit: nec ciuitates, in quibus decesserint, intestatorum bona vindicare permittuntur, *l.1.l.4.C.de bonis vacant.lib.10.* Tamen
si militum † aliquis fuerit rebus humanis exemtus, atque intestatus 1
sine legitimo herede decesserit, ad vexillationem, in qua militauit, res eiusdem necessario perueniunt, *l.2.C.de hered.decur.* Quomodo
si quis nauicularius † sine testamento & liberis vel successoribus de- 2
functus sit, hereditatem eius non ad fiscum, sed ad corpus nauiculariorum, ex quo fatali sorte subtractus est, deferri præcipit *l.1.ibid.* & si quis cohortali conditione grauatus, sine testamẽto vel quolibet successore vltimum diem obierit, successionem eius nõ ad fiscum, sed ad ceteros cohortales eiusdem prouinciæ pertinere, ait *l.3.ibid.* Sic curialium intestatorum bona, si sine herede moriantur, ordinibus patriæ eorum addici præcipit *l.4.d.t.* Hodie, corrupta disciplina militari & legibus, militibus intestato defunctis præfectos eorum & capitaneos, exclusis commilitonibus, plerunque succedere videmus.

PRIVILEGIVM XIX.

Miles non amplius quam facere potest soluere cogitur.

EPITOMA.

1 *Debitores communiter in solidum condemnantur.*
2 *Miles tantum qua facere potest.*
3 *Idq́ue, vt quidam volunt, tantum in debito militari.*
4 *Vt ego, in omni debito.*
5 *Miles ob debitum ciuile realiter citari, capi, inue carcerem coniyci non debet.*
6 *Vtrum caussarum patroni, aduocati, clerici, hoc priuilegium habeant, ostensum.*
7 *Priuilegium hoc personale est penitus.*
8 *De amissione huius priuilegij.*
9 *An miles extra militiam agens hoc priuilegio fruatur, doceo.*
10 *Miles huic priuilegio renuntiare nequit.*
11 *An delicto hoc priuilegium amittatur, ostensum.*

De re iudicata & effectu sententiarum titulus sequitur. Hic re-
gulariter † debitores in solidum atq; integrum condemnan- 1
tur, *l.sunt qui, 16.l.sicut autem, 21.l.si cum procuratore, 23.l.etsi fideiussor,*

l. sciendum, 25. l. Nesennius, 41. ff. de re iudic. fac. l. si quis crediderit, 49. ff. de pactis. Condemnatus enim ad soluendum cogitur praecise soluere, *l. si se non obtulit, §. ait Praetor, vbi Paulus de Castro, ff. de re iudicat.* & condemnatio non quantũ facere reus potest, sed quanti actoris in-
2 terest, fieri solet, *l. si Kalendis ff. dict. t.* Miles † tamen qui sub armata militia stipendia meruit, eatenus tãtum, qua facere potest, cogitur soluere, *l. miles, 6. in princ. & ibi communiter Dd. l. item miles, 18. d. t. l. si castrense, 7. ff. de castrensi peculio,* hoc est, non totum, quod habet, ei extorquendum est, sed & ipsius ratio habenda est, ne egeat, *l. in condemnatione, 173. ff. de reg. iuris, l. inter eos, 19. in fine ff. de re iudic.*

Sed quali in debito miles hoc priuilegio fruatur, quaeritur? Glos-
3 sa † *in d. l. miles,* quam sequuntur Caccialupus *de debitore susp. q. princ. 5. vers. Quinto quaeritur,* & Brunus *de cessione bon. quaest. 11. quartae princ.* illud tantum debitum intelligendum aiunt, quod in castris & militia, aut certe ob militiam, vt pro armis aut equis, contractum est: idq; argumento *§. sed hactenus, Inst. de militari test.* vbi hactenus militibus priuilegium concedi dicitur, quatenus militant & in castris degunt. Quod tamen nihil probat. Ex iis enim verbis illud tantũ sequitur, militem priuilegio suo frui, quatenus, h. e. dum militat & in castris agit. Et loquitur textus ille non vniuerse de omnibus priuilegiis, sed de eo tantum, quod habent in testamenti factione. Itaq;
4 ego potius † de omni hoc militis debito, siue in militia siue extra, tam alterius rei quàm militię caussa contracto, affirmandũ censeo: vt huius gratia in quantũ facere potest conueniatur, sed tamdiu dũ miles & in militia est. Ratio est, quia leges, quae id priuilegiũ militi tribuũt, indistincte & absolute loquũtur; nec vlla contrarium affirmans reperitur. Vbi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Imo expresse hoc asserere videtur *l. si castrense, 7. ff. de castr. pecul.* Et inprimis illud accedit, quod militibus priuilegium hoc dignitatis & existimationis, item q; etiam salutis tuendę caussa datum est, vt ratio ostendit, & ipsi Dd. fatentur. Quem finem raro assequetur priuilegii conditor, nisi in omnibus idem statuatur. Ita maritus non dotis tantũ nomine, sed ex aliis quoq; contractib. ab vxore iudicio conuentus, in quantum facere potest cõdemnandus est,
5 *l. non tantum, 20. ff. de re iud.* Ex hoc † priuilegio ceu consequẽs aut effectũ colligunt Dd. illud, quod licet alioquin secun. vulgatã regulã, qui nõ hẽt in aere, in corpore luere debeat, *l. si quis, 7 §. in seruos, 3. ff. de iurisd. om. iud. l. si ff. de in ius voc. l. 1. §. vlt. ff. de poenis, l. ex quo pace, 12. §. itẽ*

illud,

illud, in fin. C. de ædific. priuat. l. quicunque, 4. C. de seruis fugit. l. quod si minor, 24. §. si seruus, ff. de minorib. Miles tamen, qui non vltra, quam facere potest, conueniri debet, multo minus realiter citandus, capiendus, aut in carcerem ob debitum ciuile coniiciendus est. Did. Couarruu. lib. 2. variar. resolut. cap. 1. num. 4. Iacob. Menoch. de arbitr. iud. lib. 1. quæst. 88. num. 9. M. Brun. de cess. bonor. quæst. 11. quartæ principal. num. 1. & num. 16. Caccialup. de debitore suspecto, quæst. 5. num. 12. Socin. in tract. de citat. artic. 5. num. 35. cum seq. And. Gail. lib. 1. obseruat. practic. obseruat. 48. num. 16. nisi suspectus de fuga instanti sit, vt docent Caccialup. & Brun. ibid. ille num. 21. hic num. 16.

Hoc † militis priuilegium ad patronos quoque caussarum, ad- 6
uocatos, clericos, gloss. in d. l. miles, 6. extendit: sed male. Expresse enim dicta lex de armata militia loquitur. Quo genere isti non comprehenduntur. Et supra ostendimus, haud procedere argumentationem a vero milite ad istos. Vtrum vero idem priuilegium illi habeant, hic ego nec affirmo, nec nego: sed per extensionem huius legis eis non tribui aio. Habent enim singuli proprias suasque caussas & rationes, ob quas hoc eis priuilegium assignatur.

Cohæret insuper † priuilegium hoc penitus personæ militum, 7
nec vel ad heredes eorum vel fideiussores transit: tum quia hæc est natura huius beneficii, l. et si fideiussor, 24. cum l. seq. ff. de re iudicat. tum quia omnia fere militibus data iura in personam tantum eorum collata videntur.

Quod † ad amissionem, quamprimum miles quis esse desinit, 8
protinus idem priuilegium eum amittere certum est, l. a nullo, 4.
C. de feriis. Vtrum vero, vt testandi priuilegium, † sic præsens, mi- 9
les extra expeditionem in aliis locis vel suis sedibus agens amittat, nihil legibus expressum inuenio. Et quamuis illæ leges & rationes, quæ testandi priuilegium talibus auferunt, idem de hoc statuere quodammodo videantur: tamen si finem, quem prius attigimus, huius priuilegii respiciamus, hoc eis priuilegium, quamdiu militis personam nomenque seruant, relinquendum videtur: cum Doctorem quoque, quamuis ignorantissimus sit, non torqueri, ne dignitas Doctoratus dehonestetur, censeant Doctores, quos dicto suo allegat M. Brun.

Renuntiare † huic priuilegio militem non posse, late ostendit 10
Alexand. in l. alia, §. eleganter, col. penult. num. 16. ff. soluto matrim. quia

priuilegium illud ratione personæ, hoc est, quatenus miles est, non ratione contractus ei competit: vt notat Marc. Brun. *de cess. bonor. quæst.11. quartæ princ. num.15.*

11 Delicto † denique, vt si quis dolum adhibuit, hoc beneficium amitti solet, *l. qui cum se, 10. l. si quis dolo, 51. cum l. seq. ff. de re iudic.* quod tamen non ante fieri crediderin, quam vel postulantibus aduersariis vel alia occasione sacramento soluatur, *facit l. 1. C. qui militare possunt, lib. 12.*

PRIVILEGIVM XX.

Stipendia militum in solutum adiudicari aut retineri non possunt, dum rei iudicatæ alia potest ratione satisfieri.

EPITOMA.

1 *Summa huius priuilegii.*
2 *An stipendia militum priuata pactione obligari possint, disputatur.*
3 *An renuntiari priuilegio huic possit, ostenditur.*

1 HVic affine est & illud priuilegium, quo † stipendia militum in solutum adiudicari aut retineri non possunt, dum rei iudicatæ alia ratione possit satisfieri, *l. stipendia, 4. C. de excusat. rei iudic.* In subsidium igitur, si alia desint, & hæc capi possunt. Quod † vero priuata pactione obligari talia posse, negat glossa *in dicta l. stipendia,* argumento *l. spem, 5. C. quæ res pignori obligari non possit,* mihi haudquaquam simile veri videtur. Nam primo non præmia, sed spem eorũ, pignorare prohibet *d. l. spem, 5.* Deinde loquitur illa de athletis, non de militibus: quos inter ingens discrimen est: nec argumentationem ab illis ad hos validam puto. Denique stipendia militibus libera sunt, eorumque propria fiunt, & castrense peculium augent. In quo cum milites liberum habeant arbitrium ac potestatem, qui non & contrahere illo obligarique inuicem possunt? Neque enim dici potest, honorem in his vel dignitatem militarem verti: siquidem prodigere, donare, aut alio modo consumere stipendia sua saluo honore suo possunt, & fieri id quotidie videmus. Idem sentire videtur quoque Franciscus Balduinus *de pignoribus & hypothecis, cap. 12.* Equidem olim non ita penitus in

manu militum stipendia fuisse, Vegetius docet, cum diuinitus hoc institutum ait, vt dimidia pars sequestraretur apud signa, & ibidem militibus seruaretur, ne per luxum aut inanium rerum comparationem absumere possent, &c. Quod de Iphicrate etiam prodidit Polyænus: Ἐν τῇ δόσει τοῦ μισθοῦ καθ' ἕκαστον μῆνα ὑφαιρῶν τὸ τέταρτον μέρος, ὥσπερ ἐνέχυρον ἑκάστου κατέχων, ἵνα μὴ λίποιεν τὸ στρατόπεδον. οὕτως ἄρα καὶ πολλοὺς εἶχεν ἀεὶ τοὺς στρατευομένους καὶ εὐπόρους. Itaque † huic priuilegio in fauorem mi- 5
litum lato renuntiare eos posse crediderim: maxime cum non omnino retinere illa vetuerit Imperator, sed tantisper solum dum ex aliis bonis satisfieri creditoribus possit.

PRIVILEGIVM XXI.

Arma militum pignoris caussa adimi aut alienari non possunt.

EPITOMA.

1 *Summa huius priuilegii.*
2 *Qui aliena arma surripuit, gradu militiæ pellitur.*
3 *Bonis cedenti militi arma relinquenda.*
4 *Arma amisisse aut alienasse in milite graue & capitale crimen est.*

ARma quoque militum priuilegiata sunt. Hæc † enim pigno- 1
ris eis caussa adimi, *gloss. & Doctores in l. nepos, 125. ff. de verborum significat. & post alios Iacob. Menoch. de arbitrar. iudic. lib. 2. casu 394. & de adipiscenda possession. remed. 3. numer. 141.* aut alienari omnino nunquam possunt, *l. desertorem, 3. §. miles, qui in bello, l. qui commeatus, 14. § 1. ff de re militar. § 2. in fin. l. postliminio carent, 17. ff. de captiuis.* Nam & † qui aliena arma surripuit, gradu militiæ pellitur, *dict. l. de-* 2
sertorem, §. qui aliena. Quin † & bonis cedenti militi arma relin- 3
quenda sunt, *gloss. & Doctores in dict. l. nepos, 125. ff. de verborum significatione*, quos sequitur Brunus *de cessione bonorum, quæstione 3. princip. numer. 7.* & confirmat prius priuilegium, quo milites non vltra, quam facere possunt, teneri dicuntur. Ius hoc nec renuntiatione, nec aliter facile miles amittere potest. Arma † enim ami- 4
sisse aut alienasse in milite graue crimen est, & capite punitur, vel certe militiam mutat miles, qui arma vel amisit vel alienauit: vt dictæ leges præcipiunt. Et apud Germanos priscos, scutum

reliquisse, præcipuum flagitium fuisse, ait Cornelius Tacitus *in libello de moribus illorum.*

PRIVILEGIVM XXII.

Milites satisdare & fideiubere pro aliis prohibiti.

EPITOMA.

1 *Summa huius priuilegii.*
2 *Caussa eiusdem.*
3 *Renuntiatio hic locum non habet.*
4 *Miles in rem suam fideiubere potest.*

1 HOc priuilegium, quod contra iuris communis tenorem † milites fideiubere pro aliis & satisdare prohibet, *l. de die, 8. §. 1. ff. qui satisdare cogant. l. milites, 31. C. de locato*, nono & vndecimo supra traditis priuilegiis nonnihil affine est. Itaque pleraque, quæ ad explicationem huiusce priuilegii pertinent, ibidem inuenies. Caussa e-
2 nim † huius illa quoque est, ne omisso armorum vsu ad opus rurestre se conferant, & vicinis graues præsumtione cinguli militaris exsistant. Armis autem, non priuatis negotiis, occupentur, vt numeris & signis suis iugiter inhærentes, Rempublicam, a qua aluntur, ab omni bellorum necessitate defendant, &c. Quapropter milites idonei fideiussores nunquam erunt, qui militiæ suæ vnice deuincti atque addicti, huius solicitudine ab omnibus aliis oneribus
3 excusantur, *gloss. d. l. de die, 8.* Ex hisdem militem † nec renuntiare posse priuilegio isti apparet, non magis, quam disciplinæ ceterisq; studiis militaribus, quibus conseruandis illud inseruit. Sed hæc o-
4 mnia alibi, vt dictum est, fusius declarata sunt. Vnum † monuisse sufficiet, tam milites, quam mulieres, minores, & simileis, quibus idem priuilegium latum est, in rem suam, vt pro suo procuratore, fideiubere posse, *d. l. de die, 8. §. 1.*

PRIVILEGIVM XXIII.

Milites filiifamiliarum in castrensi peculio sui iuris & tanquam patresfamilias habentur.

EPITOMA.

1 *De iure communi filiifamilias patriæ potestati subiecti sunt, & quod adquirunt, parentibus adquirunt, & num. 5.*

2 *In pluribus tamen iuris articulis filiifamilias milites sui iuris sunt, qui omnes fere circa castrense peculium versantur.*

3 *In hoc enim milites vice patrumfamilias funguntur.*

4 *Itaq; etiam in potestate parentum constituti, de hoc testari & mortis caussa donare tanquam patresfamiliarum possunt.*

6 *Quod in castris adquisierit filiusfamilias miles, id ipsius proprium est, nec vllum in eo ius patris, qui ne ipsum fructum quidem habet.*

7 *Circa castrense peculium filio cum patre lis esse potest.*

8 *De rebus castrensibus inter patrem & filium contrahi emtio potest.*

9 *Filiusfamilias miles seruum castrensem manumittens, suum facit libertum, non patris.*

10 *Actionem persequutionemque rerum castrensium filius miles habet, etiam inuito patre.*

11 *Senatusconsultum Macedonianum in castrensi peculio militis cessat.*

12 *Idq; etiam in collationem bonorum non venit.*

13 *Et in eo miles tanquam in proprio patrimonio captus restituitur.*

14 *Eidem adquiritur per seruum peculiarem.*

15 *Heres a commilitone institutus idem, sine patris iussu vel consensu adire potest.*

16 *Ius castrensis peculii etiam alii habent.*

17 *Nonnihil tamen a militari iure differens.*

18 *Milites præter hactenus dicta æque vt alii filiifamilias in patria sunt potestate.*

19 *Militibus pietatis ratio in parenteis constare debet.*

20 *Miles sine patris voluntate matrimonium contrahere nequit.*

21 *Miles filiusfamilias si intestatus moriatur, peculium illius communem cum aliis naturam obtinet.*

22 *Castrense peculium definitur.*

23 *Res immobiles a parentibus vel cognatis donatæ, non sunt in castrensi peculio; occasione autem militiæ adquisitæ sunt.*

24 *Quæ a parentibus vel cognatis donata sunt, nisi expresse militiæ caussa donata sunt, in peculio castrensi non computantur.*

25 *Non donatio hic, sed caussa donationis & rei veritas spectatur.*

26 *Quod non militiæ occasione, sed alia caussa quæsitum est, hunc non pertinet.*

27 *Castrense peculium augent, quæ ex hoc comparata sunt.*

28 *Peculium castrense & ipsum hoc priuilegium mutatione personæ desipit.*

1 ADuersus patriam quoque potestatem non leue priuilegium habent. Nam † cum de iure communi filiifamiliarum non sui iuris, sed patriæ potestati subiecti sint, *toto tit. Inst. de patr. potest. l. item in potestate, 3. & legib. seqq. ff. de his qui sui vel alieni iur. sunt*, adeo vt olim ius vitæ necisque parentibus in liberos permissum fuerit, *l. vlt. C. de patria potestat.* & quidquid adquirunt parentibus adquirunt, *§. 1. Instit. per quas personas cuique adquiritur, l. si emancipatis, 17. C. de donat.* sic vt peculia eorum perinde in bonis parentum computentur, vt seruorum peculia in bonis dominorum numerantur, *Instit. quibus non est permissum facere testament. in princ.* nec sacramenti etiam iure nexu paternæ potestatis quisquam soluatur, *l. errat, 3. C. de castren. pecul. lib.*
2 *12.* In † pluribus tamen iuris articulis filiifamiliarum milites non absimiles videntur hominibus, qui sui iuris sunt, *l. vlt. in fin. C. ad Senatusconsultum Macedonian.* Qui tamen omnes articuli ad vnum caput castrensis peculii restringuntur. Nam filiifamilias etiam milites in omnibus aliis rebus in manu & potestate parentum sunt, solo hoc peculio excepto, in quo sui iuris esse videntur, *l. 1. in fin. l. 2. ff. ad Senatusconsultum Macedonianum, l. vltim. in fin. C. eod. tit. d. l. errat, 3.*
3 *& l. 2. C. de castrensi peculio.* Priuilegium † ergo militum, de quo nunc agere cœpimus, in hoc omne consistit, quod milites in peculio castrensi vice patrumfamilias funguntur, in eodemque omnia, quæ in suo patrimonio pater familias, iura ac potestatem habent, *dictis legibus.* Quod, vt rectius intelligatur, certiusque credatur, exemplis deinceps, quæcunque leges subministrant, illustrabimus.

Primo igitur de iure communi filiifamiliæ testamentum inutile est, licet suæ potestatis factus decesserit, *Institut. quibus non est permissum facere testamentum, in fin. princip. l. vlt. §. ipsum autem, versic. filiis*
4 *autem, C. de bonis liber.* Milites † vero, etiam qui in potestate parentum sunt, de eo quod in castris adquisierunt ex constitutionibus Principum testamentum facere & donare mortis caussa tanquam patresfamiliæ possunt, *Institut. quibus non est permissum, &c. in princ. §. vlt. Institut. de militari testament. l. fin. C. de inofficioso testament. l. cum hic status, 32. §. si miles, 8. ff. de donatione inter virum & vxorem, l. Marcellus, 15. ff. de donat. caussa mortis, l. filiusfamilias, 7. in fin. ff. de donat. & toto tit. ff. de castrensi peculio*, idque non communi tantum, sed militari etiam & proprio iure, *d. §. vlt. Institut. de milit. testament. l. fin. C. de inoffic. testamento.*

Cum

Cum item, † vti dictum initio, filii in potestate parentum tam
ratione peculii sui, quam personæ sint, & quidquid adquirunt, pa- 5
rentibus adquirant; adeo vt parentibus liceat deteriorem condi-
tionem liberorum in rebus peculiaribus facere, *l. apud Celsum*, 4.
§. *vlt. ff. de doli mali excep.* atq; etiam iure nouissimo, quamuis peculia
filiorum propria sint, vsumfructum tamen horum habeat pater,
l. cum oportet, 6. *in princip. C. de bonis quæ liberis*, *l. vlt. C. de emancip.*
liber. Nihilominus, quod in † castris adquisierit filiusfamiliæ mi- 6
les, id ipsius proprium est, nec in eo ius patris vllum, *dict. l. errat*, 3.
C. de castrensi peculio, *lib.* 12. ideoque neque ipse pater hoc adime-
re potest, neque patris creditores id vendere, vel aliter inquieta-
re, *Institut. quibus non est permissum facere testament. &c. in princip. l. pa-*
ter, 12. *ff. de castrensi peculio*, neque omnino vsumfructum habere pos-
sunt, *dict. l. cum oportet*, 6. Hinc quamuis filiusfamilias nullius rei si-
ne voluntate patris alienationem habeat, *l. 2. C. de castrensi peculio*,
lib. 12 *l. si filius*, 3 *C. de patria potest. l. vlt. §. filiis autem*, *C. de bonis quæ liber.*
l. 1. §. 1. *ff. quæ res pignori datæ obligari non poss.* de castrensi tamen pe-
culio quidquid libuerit donare, *l. filiusfamilias*, 7. §. *vlt. ff. de donat.*
aut aliter alienare potest, *d. l. 2. C. de cast. pecul.*

Ita lis nulla nobis esse potest cum eo, quem in potestate habe-
mus, *l. lis nulla*, 4. *ff. de iudiciis*, *l. actiones*, *ff. de obligationib. & actionib.* in
peculio † tamen castrensi potest, *dict. l. lis nulla*, 4. *l. si quis vxori*, 52. 7
§. *idem dicendum*, & §. *sequent. ff. de furt. l. si dubitet*, 10. *in fin. ff. de fide-*
iussoribus, *dict. l. cum oportet*, 6. *C. de bonis quæ lib. l. adoptiuum*, 8. *in prin-*
cip. ff. de in ius vocand. Sic inter patrem & filium contrahi emtio
non potest, sed † de rebus castrensibus potest, *l. 2. ff. de contrahenda* 8
emtione.

Item † si filiusfamilias miles seruum castrensem manumittit, 9
suum facit libertum, non patris, *l. si filiusfamilias*, 22. *ff. de bonis liber-*
torum, *l. seruum*, 8. *ff. de iure patronat. l. ab intestato*, *l.* 32. §. *miles*, 7.
ff. de suis & legitimis heredibus, *l. in eo iure*, 45. §. *plane*, *ff. de ritu nuptia-*
rum. Et actionem † persequutionemque castrensium rerum sem- 10
per filius etiam inuito patre habet, *l. miles*, 4 §. 1. *ff. de castrensi pecu-*
lio. Ita † Macedonianum Senatusconsultum in castrensi pecu- 11
lio militis cessat, *l.* 1. §. *vltimo*, *l.* 2. *ff. de Senatusconsulto Macedo-*
niano.

Namq; si miles filiusf. pecuniā creditā acceperit, siue sine man-
dato, siue sine consensu, vel voluntate, vel ratihabitione patris stare

oportet contractum, nulla differētia introducenda ob quam caussam pecuniæ creditæ, vel vbi consumtæ sint, *l. vltima, in fin. C. ad Senatusconsultum Macedonian.* Ex præsumtione enim omnis miles non creditur in aliud quidquam pecuniam accipere, nisi in caussas castrenses. *ibid.* Quod in ceteris caussis locum non habere, satis ex Senatusconsulti ipsius tenore, tum vero titulis Digesti & Codicis de hoc agentibus, manifestum est. Atque hoc modo nullum plane pater in castrensi filii peculium ius habet. Quin nec † mortuo
12 ne pater in castrensi filii peculium ius habet. Quin nec † mortuo eodem fratribus more aliorum bonorum confertur, *l. 1. §. nec castrense, ff. de collat bonor. l. fin. C. eod. Institut. quibus non est permissum, &c.*
13 *in princ. l. si filiusfamilias, 4. C. familiæ erciscund.* Sed † ipse in hoc tanquam in proprio patrimonio captus restituitur, *l. 3. §. penult. ff. de mi-*
14 *norib.* Et si † quid seruus peculiaris vel ab extraneo vel etiam ipso patre stipuletur, aut per traditionem accipiat, sine distinctione caussarum res ad filium pertinebit, *l. pater, 15. § seruus, l. penult. §. 1. ff.*
15 *de cast. pec.* Heres † etiam a commilitone vel eo, quem per militiā cognouit institutus filiusfamiliæ miles, sine patris iussu vel consensu adire potest, *l. regula, 9. § 1 ff. de iuris & facti ignorant. l. miles, 5. ff. de castrensi pecul. l fin. in princ. C. de iure deliber.* Hinc adeo quam late præsens priuilegium pateat, & quale in castrensi peculio ius arbitriumque milites habeant, satis manifestum euidensque opinor. Qui-
16 bus † & illud addendum, ius castrensis peculii etiam scriniarios, exceptores, ceterosque in officio imperiali merenteis, habere, *l. vlt. C. de castrensi pecul. lib. 12.* Idem ius datur quoque Consulibus, Proconsulibus, & Præfectis legionum, & Præsidibus prouinciarum, & omnibus generatim, qui in diuersis dignitatibus vel administrationibus positi, a principali consequuntur manu vel ex publicis salariis quasdam largitates: itemque viris disertissimis patronis caussarum, virisque deuotissimis memorialibus, & agentibus in rebus, nec non magistris studiorum liberalium, & archiatris, & aliis omnibus omnino, qui salaria vel stipendia percipiūt publica, *l. vlt. C.*
17 *de inofficioso testamento.* Sed illo † omnes cedunt militibus armatis, quod ipsorum peculium non proprie castrense, sed quasi castrense appellatur: & licentia quidem eis condendi super his testamenta conceditur, non tamen, vt militibus, quo voluerint modo, sed secundum leges, communi & licito & consueto ordine obseruando *d. l. vlt.* Quibus igitur & quemadmodum castrensis peculii iura competant, ex hisce intelligi puto.

Interim

Interim vt omnia priuilegia, sic & istud late quidem & multum patere, non tamen in infinitum & sine modo extendendum, scire debemus. Illud † ante omnia, quod ex hactenus dictis satis notum 18
arbitror esse, semper meminisse debemus, filiosfamiliarum etiam militis patriæ potestati subiectos, & præterquam in castrensi peculio in nullo sui iuris & vice patrumfamiliarum censendos, *l. 1. in fine, l. 2. ff. de Senat. Maced. vlt. in fine, C. eod. l. 2. & 3. C. de castr. pecul. &c.* Igitur etiam † militibus pietatis ratio in parenteis constare debet: etsi 19
in eos aliqua commiserint, pro modo delicti puniendi sunt, *l. 1. in prin ff. de obseq. a lib. par. præstan.* Sicut † nec matrimoniũ etiam milites 20
sine patris voluntate contrahere possunt, *l. filiusfamilias, 35. ff. de ritu nupt.* non magis quam quilibet alius, *l. in sponsalib. 7. ff. eod & simil.* Et quamuis magna sit horum in testando & peculio administrando libertas, tamen si † intestati moriantur, peculium eorum commu- 21
nem cum aliis naturam obtinet, *l. 1. 2. & 9. ff. de castr. pecul.*

Denique † in cuius definitione maxime circumspecte cauteque est 22
procedendum, ipsa est castrensis peculii notatio. Omnino enim, quid sit de castrensi peculio accurate videndum, ne vel in excessu, vel defectu peccantes, huic aut alteri parti iniuriam faciamus, & vniuersæ legum voluntatem lædamus. Quid ergo de bonis militum castrensis peculij nomine ac iure censeamus? Castrense peculium, sequendo *l castrense, 11 ff. de castr. pecul. l. 1. C. eod.* esse aio, res mobiles vel se mouenteis, quæ a parentibus, cognatis, propinquis, amicis, in militia agenti, & ad militiam donata sunt: item illa quoque quæ ipse filiusfam. in militia adquisiuit, quæ, nisi militaret, adquisiturus non fuisset, in quibus etiam res mobiles esse possunt, & quæ denique ex prædictis comparata sunt, siue mobilia, siue immobilia. Ex hac descriptione recte ac penitus intellecta, quid ad castrense peculiũ referendum, quid non, facile æstimabimus. Nam † primo in castren- 23
si peculio censeri res immobiles a parentibus vel cognatis donatas, expresse negant *l. 1. C. de castrens. peculio, l. filiusfamil. 4. C. famil. hercisc. & fac. l. miles, 4 ibi, quæ tulit, ff. de castrens. pecul.* Immobiles autem occasione militiæ aliunde adquisitas censeri, eædem leges non minus aperte confirmant. Deinde † quæ a parentibus vel cognatis dona- 24
ta sunt, nisi expresse militiæ caussa donata sunt, in peculio castrensi non computantur. Itaque si mulier filio viri ad castrenseis vel militareis forte res comparandas reliquerit pecuniam, vtique castrensi peculio ea, quæ comparantur, adnumerari incipiũt, *l. 3. ff. h. t.* Quod

vero pater militi filio reuerso donat, castrensis peculij non facit, sed alterius, perindeac si filius nunquam militasset, *l. pater, 15. ff. h.t.*
25 Omnino enim † in his nō donatio, sed caussa donationis & rei veritas spectatur. Vnde si quid militi vxor, vel cognatus, vel alius non ex castris notus, donauerit, vel legauerit, & expresserit nominatim, vt in castrensi peculio habeat, castrensi tamen peculio id non adgregatur, *leg. si forte, 8. ff. hoc titulo.* Veritas enim spectatur, an vera notitia castrensis vel affectio fuerit, non quod quis
26 finxit: vt dicta lex ait. Sic † quod ad alterum membrum, occasione militiæ adquisitum esse oportet, quod castrensi peculio accedat. Nam quod erat & sine militia adquisiturus, id castrense eius peculium non est, *d. l. castrense, 11. l. si milite, 6. ff. h. t. l. 1. C. eod. tit.* Sic hereditas castrensi peculio non videtur quæsita, quā frater patruelis in alia prouincia merens, fratri patrueli, cum quo nunquam militauit, reliquit, *l. dotem, 16. ff. h. t.* Sanguinis enim ratio, non militiæ caussa, meritum hereditatis accipiendæ præbuerat. Sin vero frater vel agnatus, & idem commilito fuerit, qui hereditatē reliquit, successionem eius, siquidem non ante commilitium fecit testamentū, ad castrense peculium pertinere, ait *l. de hereditate, 19. in pr. ff. h. t. l. 4. C. eod.* Etenim peregrinationis laborē, commilitiumq;, & obeundorum munerū consortium, affectioni nōnihil addidisse, quinimo vice mutua cariores inuicē sibi eos reddidisse credendum est, *dd.*
27 *ll.* Deniq; † & illa in castrensi peculio numerari, quæ ex his comparata sunt, docet *d. l. 1. C. h. t. l. si mulier, 3. l. si militi, 6. l. pater, 15. § seruus, l. penult. § 1. ff. eod. tit.* Ex his igitur quid castrense peculium, in quo dicta iura valeant, censeri debeat, perspicuum opinor. Quæ item ad præsentis priuilegii explicationem sufficere opinor: cū reliqua omnia, vt mea fert sententia ex communibus priuilegiorum militarium regulis atq; legibus, quas supra tradidimus, facile æstimari possint atq; debeant.

28 Vnum hoc † ad finem atq; amissionem huius priuilegii pertinēs prætereundum minime videtur, & peculiū castrense, & ipsum hoc priuilegium mutatione personæ desinere, *l. per curatorem, 90. in fin. ff. de adquir. vel omitt. hered.* Tamdiu nimirum hoc obtinet, dum in sacris parentum filii milites constituti sunt. Si enim sui iuris efficiantur, neque nomen peculii permanet, sed aliis rebus confunditur, & similem fortunam recipit, quemadmodum & ceteræ res eorum, quæ in vnum congregantur ex omnibus patrimonium, *l. fin. in fine, C. de inoffic. testam.*

PRIVILE-

PRIVILEGIVM XXIV.

Ab hostibus capti, & non commercio redemti, sed virtute militum nostrorum liberati, illico statum suum recipiunt, serui autem dominis restituentur.

EPITOMA.

1 *Ius postliminij communiter descriptum.*
2 *Summa huius priuilegii.*
3 *Militem nostrum defensorem esse decet, non dominum.*
4 *Quod de seruo, idem de aliis rebus virtute militum recuperatis, tenendum.*

IN postliminii quoque iure militum caussa priuilegium habet. Cum enim † liber homo captus ab hostib. & intra pręsidia eorum 1 perductus, postea vero commercio redemtus; tunc demum, cum aut pretium emtori redemtionis restituerit, vel ei hoc qualicunq; remittatur iudicio, aut laboris obsequio, vel opere quinquennii vicem retulerit beneficii, statum pristinum recipiat. *l. liber captus, 17. l. fin. & tot. tit. C. de postlimin. reuers. l. postliminii, 8. §. 1. l. sequent. ff. eod.* quin seruus captus & redemtus protinus redimentis sit, nec postliminio in potestatem domini reuertisse, nisi pretio reddito, intelligũtur, *l. in bello, 12. §. si quis seruum ff. d. t.* Ab hostib. tñ † capti, & non 2 commercio redemti, sed virtute militum nostrorum liberati, illico statum quem captiuitatis casu amiserant, recipiũt: serui autem dominis suis restituentur, *l. ab hostibus, 12. C. d. tit. § si ab hostibus, in fine, ff. quibus modis ius patr. potest. solu. l. in bello, 12. ff. de captiu. & postlim. reuer. l. si quis ingenuam, 21. in princip. ibid.* Receptos enim eos, non captos iudicare debemus: & militem † nostrum defensorem eorũ decet 3 esse, non dominum, inquiunt Impp. *in d. l. ab hostibus.* Sed † cum lex 4 serui tantum mentionem faciat, quæri potest, vtrum & reliquas res nostras virtute militum recuperatas, protinus recipiamus. Et affirmandum censeo, per *d. l. ab hostib, 12.* quæ militem defensorem nostrum, non dominum vel prædonem esse iubent. Hæc de isto priuilegio dicta sufficiant. In quo quidem leges & iura postliminii, (quorum accurata explicatio alterius loci est atq; instituti) diligenter respicienda atq; seruanda.

PRIVILEGIVM XXV.

Donationes militibus ex spoliis hostium, vel suis rebus a Ducibus factæ, non insinuantur.

DOnationes quingentorum aureorum summam excedenteis sine insinuatione inualidas esse noti iuris est, *tot. tit. C. de donat.* Ab hac tamen regula absoluuntur donationes rerum mobiliū, vel se mouentium, quas tam ex sua substantia, quam spoliis hostium duces seu magistri militum fortissimis præstant militibus, *leg. si quis pro redemt. 36. in princip. C. dict. tit.*

PRIVILEGIVM XXVI.

Milites accusare sacramento suo prohibentur.

EPITOMA.

1 *Summa priuilegij.*

2 *Quod cessat, si miles suam suorumq; iniuriam persequatur, aut de libertate pro necessariis personis litiget.*

3 *Vnde rursus tamen magistri militum & similes in dignitate positi, vt priuilegio subiecti excipiuntur.*

4 *Huic priuilegio renuntiari nequit.*

5 *Concursus huius priuilegij cum aliis.*

6 *Militum priuilegia, si iniqua fiant, suspenduntur illo casu, vel omnino abolentur.*

7 *Aequitas finis & norma priuilegiorum.*

ACcusare posse omneis, qui non prohibentur, argumento sunt *l. qui accusare, 8. in princ ff. de accusation. l. nec non, 28. §. quod eius, ff. ex*
1 *quibus causs. maior.* Milites † vero, qui stipendia merent sacramen-
2 to suo prohiberi, ait *d. l. qui accusare.* Ita tamen † vt si suam suorumq; iniuriam persequantur, non prohibeantur milites accusationē, quę publici iudicii instar obtineat, intendere, *l. non prohibentur, 8. C. de his, qui accusare non possunt.* Quomodo etiam de libertate militi pro necessariis sibi personis litigare permittitur, *l. amplius, 3. §. 1. ff. de liberali caussa.* Nam, vt ait *l. qui stipendia, 9. C. de procurat. & fac. l. filiusfamilias, 8. §. veterani, ff. eodem,* qui stipendia merentur suis negotiis superesse inoffensa disciplina possunt, nec potest dici, eū qui honesta & vere-

& verecunda præcedente caussa mandatas sibi actiones exercuerit, alieno negotio fungi: cum licet contentio ex persona alterius bona fide sumatur, hunc tamen rem suam gerere non ambigatur. Quod militibus interdici, non modo absurdum, verum etiam iniquum est. A quo tamen † rursus in dignitate positi, vt magistri mi- 3
litum & similes excipiuntur. Hi enim omnino procuratoris personam in negotii sui iura substituere tenentur. *l. quicunque, 25. Codic. de procurator.*

Tenorem igitur huius priuilegii caussamque, quæ est sacramentum & munus militiæ, ex hisce intelligi opinor. Simul & illud † cla- 4
rum fit, milites huic priuilegio renuntiare non posse, quoniã caussa, quæ occasionem priuilegio dedit, in ipsis non est. Eosdem tamẽ casibus nonnullis solui priuilegio patet, tum videlicet cũ alia caussa iustior æquiorq; concurrit. Itaq; † in his concursum priuilegio 5
rum, & quomodo aliud ab alio vincatur, cernis. Ius enim cõmune cedit iuri singulari: hoc cedit alteri iuri, quod naturali nititur æquitate: ne cuiquam officium suum sit damnosum: hoc vero rursus in illustribus militibus, quod dignitas impedit, cessat. Habes † item 6
in d. l. qui stipendia, 9. exemplum eius, quod supra dixi, militum videlicet priuilegia, si quo casu absurda aut iniqua fiant, vel suspendi, vel omnino aboleri. Et deniq; † æquitatem tam finem quam normam 7
supremam huius & omnium priuilegiorum esse, ad quam interpretari & dirigi vndiq; debeant, eadem lex exemplum pulcerrimum proponit.

PRIVILEGIVM XXVII.

Milites eorũq; liberi, nec tormentis, nec plebeiorum pœnis subiici debent, & vniuerse paganis mitius puniuntur.

EPITOMA.

1 *Summa huius priuilegij.*
2 *Hoc priuilegium missis quoq; a militia datum est.*
3 *Filij vocabulum hoc loco notatur.*
4 *Caussa huius priuilegij.*
5 *Ei non renuntiatur.*
6 *In maiestatis caussa hoc priuilegium cessat.*
7 *Delicta quædam pagano nullam aut leuem, militi grauiorem pœnam irrogant.*
8 *Vsus hodiernus & vis huius priuilegij.*

1 Circa quæstiones & pœnas militibus non contemnendum priuilegium leges dederunt. Nam † neq; tormentis neq, plebeiorum pœnis, vel ipsi, vel eorũ liberi, subiici possunt, etiamsi nõ emeritis stipendiis videantur esse dimissi, *l. milites, 8. C. de qq. l. 3. § 1 ff. de re militari, l honor, 5. C. de pœnis, l. nullus, 4. C. ad l. Iul. Maiest.* Hodieq; etiã ex delicto, ob quod plebeius suspenderetur, istos nõ suspendi, affirmat gl. *in d. l. 3 §. 1. ff de re milit.* cui consentiunt, vt de tormẽtis quoq; Brunus *de cessio bon. q. 11. quarto princ. n. 12. Alex. in l scriniarios, C. de testam. mil. Salyc. in l. 1. col. 4. in fine, q. 5. de iur. & facti ignor. Euerard. in loco a milite armat. militiæ ad mil. cælest. mil.* Et communem hãc esse opinionem, scribit Ægid. Bossius *in tit. de indic. n. 104.* Quin vniuerse milites priuatis mitius puniuntur, *l. ne cui, 32. in fine. Cod. de locato,* damnatique ex delicto, vnde paganus damnatus infamaretur, non infamantur, *leg. frustra, 7. vbi Ioann. de Platea, & gloss. Codic. de re militari, libr. 12.*

2 Hoc igitur † priuilegio non eos tantum, qui actu sunt milites, sed missos quoq; a militia, siue ob emerita stipendia, siue ob caussam iustam, frui, docet *d. l. milites, 8. d. l. honor. 5. & similes, facitq. l. vlt. ff. de decurionib* nec ipsos tantum, sed & filios eorum, vt pronuntiat, *d. l.*
3 *milites, 8.* Quo loco † quid nomine filiorum notetur, non immerito? quæritur. Filiorum enim appellationẽ ad nepotes quoq; & pronepotes, imo ad omneis quandoq; descendenteis extendi, *lib. 2. de priuil. iur. ciu. cap. 4. n. 73.* ostendi. Hoc tamen priuilegio solos primi gradus liberos comprehendi dixerim. Nam primo propria significatione huius vocabuli ij tantum continentur, *l. iubemus, 6. §. vlt. C. ad Senat. Trebell. l. quid si nepotes, 6. ff. de testam. tut. l. sed & milites, 8. ff. de excusation.* Nec cur ad impropriaetatem vocabulum extendere debeamus, satis caussæ video. Quin potius in dubio verbis eorumque proprietati insistendum, *l. 1. §. 20. ff. de exercit. actio, l. si alij fundum, 19. ff. de vsu & vsufr. leg. l. non aliter, de legat. 3 l. prospexit, ff. qui & a quibus manum.* Deinde non minor illa ratio est, quod in veteranis, quorũ hic coniuncta cum aliis militibus caussa est, *d. l. milites, 8.* expresse primi tantum gradus liberos admittit, *d. l. honor, 5. & l. sed & milites, ff. de excusat.* quæ aperte nepotes eorum, qui olim milites fuerunt, eodem cum reliquis priuatis loco censeri iubet. Deniq; vt id verũ habeatur, argumento est quoq; *l. D. Marco 11. C. de q.* vbi cum eminentissimorum ac perfectissimorum virorum priuilegium ad pronepotes tantum extendatur, simplicium militum priuilegium citra merito consistet.

consistet. Perinde etiam illud quæritur, an filiæ quoq; militum fructum ex priuilegio sentiant? Et dico, sentire. Primo, quoniam vbicunque rei natura patitur, fauoris caussa masculinum genus complectitur fœmininum, vt *d.lib.2.d.c.4.n.84.* docui. Neq; vero hic ratio vlla diuersitatis inter filios & filias afferri, nec caussa vlla monstrari potest, cur minus filias, quam filios beneficio paterno frui deceat. Ad hæc quos filios nominat *d.l.milites, 8.* hos liberos vocat *d.l. honor, 5.* At liberorum appellatione vtrumq; contineri sexum notissimi iuris est.

Caussam † huius priuilegii, partim ex *d.l.honor*, partim ex ipsius 4
priuilegii natura assequimur. Honoris enim atque existimationis militaris fauore, quam illæsam, vt maxime Imperatores velle multis argumentis patet, id introductum haud dubie est.

Ex quo † illud primum omnium sequitur, eos huic priuilegio 5
nunquã renuntiare posse, nisi & famæ & ordini suo valedicere velint: quod tunc fieri solet, cum ignominiæ caussa mittuntur. Potẽtioris quoque priuilegii occursu præsens suspendi solet: vt in maiestatis † caussa, in qua sola omnib. æquam conditionem esse affir- 6
mat, *l.nullus, C.ad l.Iul.maiest.* Et huc pertinet *l.quædam, 14.ff.de pœnis.* delicta † quædam pagano aut nullam aut leuiorem pœnam, militi 7
vero grauiorem irrogare, asserens. Hoc enim in iis tantum delictis, quæ contra officium, professionem ac decus militum admissa sunt, locum habere docet *ead.l.quædam, 14 & l.2.l.omne, 6.§.1.ff.de re mil. l.presbyteri.8.in fine C.de Episc.& cleric.* Nec tamen ideo quæstionib. tormentisue, aut pœnis plebeiis subiici sequitur. Sed illa verissima legis sententia est, militibus multa pro delictis imputari atq; puniri, quæ in priuatis vel nullam vel leuiorem delicti habeant rationem atq; pœnam, quod ab militari disciplina, a qua pagani exemti sunt, fieri nemo dubitabit.

Sed fortasse † nequicquam disputo hæc omnia, quando, vt Iul. 8
Clarus *lib.5.sentent.§ fin.q.64.num.18.* scribit, hoc priuilegium antiqui quidem temporis militibus latum ac seruatum est: hodie vero in iis tantum, qui equites appellantur, procedit, & in capitaneis seu ductoribus militum; secus autem in militibus priuatis. Nam illi quotidie torquentur, & de hoc nullus dubitat, vt dicit Ægid. Boss. *d.loco, n.18.* Quod vtrum in Francia tantum, an vbilibet & per totum Imperium Romanum, & de iure, an de facto tantum fieri soleat, ego multum dubito.

PRIVILEGIVM XXVIII.

Milites deferre propter honorem stipendiorum prohibentur.

VT accusare, ita deferre milites propter honorem stipendiorum, quæ merent, prohibentur, *l. deferre, 18. §. item milites ff. de iure fisc.* Quamuis enim præmiis delatores inuitantur, *l. edicto, 13. l. Senatus, 15. §. Senatus, l. penultim. dict. tit.* Vniuerse tamen caussam eorum turpem, odiosam, exsecrabilem esse, ostendit *l. nulli licere, 28. §. & ne pium, C. de Episcop. & cleric. l. si non est, 3. C. de iniur. & tot. tit. C. de delatorib. lib. 10.* Tanto magis militibus hoc opere abstinendum.

PRIVILEGIVM XXIX.

Miles ibi domicilium habere videtur, vbi meret, si nihil in patria possidet.

EPITOMA.

1 *Summa priuilegii, & num. 4.*
2 *Vbi domicilium quis habet, ibi conueniri debet, eius loci incola dicitur, & ad munera ciuilia vocatur.*
3 *Vbi domicilium quis habere credatur, definitur.*
5 *Interpretatio huius priuilegii aliqua.*

1 MIles ibi † domicilium habere videtur, vbi meret, si nihil in patria possidet, *l. municeps, 23. §. ff. ad municipal.* Hoc ratione
2 fori, vt sciamus, vbi milites conueniendi sint, latum est. Vbi † enim domicilium quisq; habet, ibi cōueniri atq; defendi debet, *l. heres, 19. l. si fideicommissum, 50. §. pen. ff. de iud. l. 1. & l. seq. ff. de reb. auctorit. iud. possid. l. Senatores, 2. C. vbi Senatores, &c. l. Cornelia, 5. §. si tamen, ff. de iniur.* eiusq; loci incola dicitur, *l. ciues, 7. de incolis, lib. 10. l. pupillus, 239. §. incola, ff. de verb. signif.* & ad munera ciuilia ideo vocatur, *l. priuilegio, 6. vbi gl. C. d. t. l. domiciliū, 20. incola, 29. ff. ad munic. l. 3. in pr. ff. de munerib. l. re-*
3 *scripto, 6. in fin. l. fin. §. huiusm. 22. ff. de munerib.* Domicilium aūt † in eo loco singulos habere sciendum, vbi larem quisq; rerū ac fortunarū suarum summam constituit: vnde rursus non sit discessurus, si nihil auocet: vnde cum profectus est, peregrinari videtur: quo si redit, peregrinari iam destitit, *dict. leg. ciues, 7.* Itaq; nec qui in territorio

alicuius ciuitatis commorantur, *l. est verum, 3. C. d. tit.* nec qui studiorum caussa in aliquo loco agunt, *l. 2. ibid. d. l. lex Cornelia, 5. d. §.* nec qui domum aut possessiones alicubi habent, *l. libertus, 17. §. sola ratio, & §. sola domus, ff. ad municip. l. cum neq́, C. de incolis,* domicilium ibi habere aut incolæ esse videntur. Et vagabundos, qui vel incertis sedibus hinc inde iter faciunt vel nauigant, aut si maxime certo loco subsistant, non tamen animo ibi commorandi, domicilium ibi habere negat *l. eius, 27. §. Celsus, ff. ad municip.* Animus enim & voluntas domicilio constituendo requiruntur, *d. l. priuilegio, 6. & l. seq. d. l. eius, d. §. &c.* Milites † igitur, qui secundum hoc ius in eo lo- 4
co, vbi stipendia faciunt, nec domicilium habent, nec conueniri possunt (vt quilibet intelligere potest) siquidem in patria aut alibi domicilium habent, ibi merito conueniuntur, *d. l. municeps 23. §. 1.* sin minus, tum vero ne nullibi conueniri possunt (quod fieri nec debet, nec potest, *ff. de eo quod certo loco, l. quod nisi, 20. §. 1. ff. de operis libert. l. ait prætor, 10. §. si debitorem, ff. quæ in fraudem credit.*) iure hoc singulari ibi domicilium eorum, vbi merent, constituitur, *d. l. municeps,* ibidemque proinde conueniri & defendi debent. Hæc huius priuilegii ratio caussaque est. Itaq; nec † vltra, quam illa ducit, ac- 5
cipiendum. Cetera igitur onera, quæ domicilium sequuntur, vt munera personalia & similia, militibus minime incumbunt, tum quia reuera ac proprie domicilium ibi nō habent, nec veri incolæ sunt, tum vero inprimis, quoniam, vt *l. 3. §. 1. ff. de munerib.* ait, & nos infra docebimus, quia ciuileis omneis curas relinquere, & soli armorum ac militiæ studio operati esse iubentur. Sic & municeps esse desinit senatoriam adeptus dignitatem, quantum ad munera: quantum vero ad honorem retinere creditur originem, *l. municeps, 23. ff. ad municipal.*

PRIVILEGIVM XXX.

Milites immunitatem a muneribus habent.

EPITOMA.

1 *Militibus nullum munus municipale iniungi potest.*
2 *Quid municeps, quid munus municipale & ciuile.*
3 *Munera ciuilia alia sunt personæ, alia patrimonii, alia mixta.*
4 *A personalibus muneribus milites excusantur.*
5 *Non item ab his quæ sunt patrimonii.*

6 *Imo & ab his excusari videntur.*
7 *Conciliatur prædicta contrarietas.*
8 *Milites personalium & mistorum munerum habent immunitatem, non item eorum, quæ sunt patrimonii, præter hospitis recipiendi onus.*
9 *Priuilegium hoc personale est.*

1 HIs, † qui castris operam per militiam dant, nullum munus municipale iniungi posse, ait *l.3. §.1. & §. decaprotos, 10. l. cura, 4. §. vlt. l. vlt. §. penult. ff. de muneribus.* Hoc priuilegium satis illustrabitur, si quid munus municipale sit, & an ab omnibus milites excu-
2 sentur, inuestigatum erit. Municeps † igitur est suæ cuiusque ciuitatis ciuis, *l.1. §.1. ff. ad municipal.* Ex quo sequitur, municipem & ciuem, munus item municipale & munus ciuile, reuera idem esse: quamuis angustius quandoque munus ciuile accipi videatur. Mu-
3 nera † ciuilia in duo genera, patrimonii scilicet & personæ distinguunt, *l.1. & l. munerum, 18. ff. de muneribus.* Et hæc quidem esse, quæ corporis labore & animi solicitudine ac prouisione, sine aliquo gerentis detrimento, perpetrantur: vt tutela & cura, aliaque munera, quæ magno numero dictæ modo leges recensent. Patrimonii sunt illa, quæ possessionibus siue patrimoniis inducuntur, in quibus sumtus maxime postulantur: qualia ibidem complura enumerantur. His tertium genus, quod mistum dicitur, adiungit *d. l. munerum, 18.* quæ scilicet partim ratione personæ, partim patrimonii iniunguntur. Eadem muneribus municipalib. distinctio adhibenda. Nam & hæc non tantum personæ, sed & patrimonio incumbunt, *l. Lucius, 21. § idem, 4. ff. ad municip. l. semper, 5. in princ. § conductores, 5.*
4 *ff. de iure immunit.* Ab † his igitur, quæ personæ iniunguntur, muneribus excusari milites, nullum dubium esse videtur, argumēto *d. l. 1. & ibid. gloss. l. munerum, 18. § cursus, l. vlt. § penult. ff. de muneribus, l. ab his oneribus, 10. § angariorum, ff. de vacationibus.* Vtrum vero a patri-
5 monialibus † illi immunes habendi, in quæstione est. Sunt enim pene contraria hoc loco verba atque sententiæ legum. Nam, quod sola persona militum immunitatis iura habeat, censet glossa *in d. l.3. §.1. in verbo, munus, ff. de munerib.* & confirmāt *l. fin. § patrimoniorum, iuncto § ab huiusmodi, ff. d. tit.* vbi a muneribus patrimoniorum neque primipilares, neque veterani, neque milites, aliusve, qui priuilegio subnixus, nec Pontifex, excusari dicuntur. Cui consentit *l. sunt munera, 11. ff. de vacatione.* Et *l.2. C. de muneribus patrimonialib.*

monialib. lib. 10. *Munera*, inquit, *quæ patrimoniis publicæ vtilitatis gratia indicuntur, ab omnibus subeunda sunt.* Et *l. seq. ibid. Qui immunitatem munerum publicorum consequuti sunt, onera patrimoniorum sustinere debent: in quibus caussis & hospites recipiendi sunt.* Item *l. ab his, 10. ff. de vacatione: At his vacationibus*, inquit, *quæ possessionibus vel patrimoniis indicuntur, nulla priuilegia præstant vacationem.* Quo pertinet & totus titul. Codic. *de quibus muneribus nemini liceat se excusare, lib. 10.* Ex quibus satis clarum esse videtur, ab muneribus patrimonii, neque milites, neque vllum alium quocunq; priuilegio subnixum excusari.

Contrariam † vero sententiam confirmare videtur *d. l. 3. §. 1.* 6
ff. de muneribus, quæ indistincte militibus nullum munus municipale, & ita nec patrimoniale, iniungi posse affirmat. Deinde ab decaprotiæ munere militanteis immuneis esse, ait *dict. l. 3. §. decaproti.* Quod quamuis misti generis esse velit, *l. vlt. §. mixta, ff. de muneribus*, magis tamen patrimonii onus esse affirmat, *d. l. 3. d. §. decaproti*, imo non corporale hoc, sed tantum patrimonii onus esse, aiunt non dubitanter *l. nec protostasiæ, 8 C. de munerib. patrimonialib lib. 10. & l. 1. §. 1. ff. de muneribus.* Tertio, munus hospitis in domo recipiendi, non personæ, sed tantum patrimonii onus esse, aiunt *d. l. 3. §. munus, 14. l. sunt munera, 11. ff. de vacatione.* At recipiendi hospitis necessitatem militi inter cetera remittunt *d. l. ab his oneribus, 10. §. nec angariorum, dict. titul. l. fin. §. penult. ff. de muneribus.* Quæ quidem cum superioribus difficulter conciliari & ad verum redigi posse videntur.

Sane † ab omnibus patrimoniorum oneribus milites immuneis esse multis de caussis periniquum videtur: a quibusdam tamen forsitan excusabuntur. 7
Certe non a personalibus tantum, sed & ab his, quæ misti sunt generis, muneribus, milites immuneis haberi, probari potest. Veluti, ab decaprotia, vt docent supra dictæ leges, & inprimis glossa *in d. l. protostasiæ, 8. C. de muneribus patrimonialibus*, & ab angariorum præstatione *dict. l. ab his oneribus, 10. §. 2.* quæ misti generis esse videtur, cum personale munus *in l. vlt. §. cursus, ff. de muneribus*, rei cohærens *in l. sunt munera, 11. ff. de vacatione*, appelletur. Perinde & hospitis recipiendi munus dictæ leges militibus remittunt. Sed & hoc mistum esse videtur. Patrimonio enim incumbere supra ostendi. Sed personæ etiam aliquis labor imponi videtur, exemplo ceterorum, quæ recitantur,

personæ munerum. Quod si tamen leuius hoc cui videtur, hoc solo ex omnibus patrimonii muneribus milites excusari dicendum: per expressum text. *d. l. ab his oneribus, & d. l. fin. § penult. ff. de munerib.*
8 reliquis autem omnino subiectos, *per dictas leges*. Omnibus † adeo vtriusque sententiæ momentis consideratis, milites tantum personalium mistorumque munerum immunitatem habere, patrimonii vero onera, præterquam hospitis recipiendi necessitatem, & ipsos sustinere, definio. Quod si statuamus, iam propositas leges atque argumenta, tam inter se, quam nobiscum consensura spero.
9 Vnum † denique, quod monet sæpius *d. l. 3. §. 1. ff de munerib.* commemorandum duxi, priuilegium hoc personale, solisque militibus tributum esse. Itaque earum personam non excedit, sed more ceterorum huius generis cum persona finitur.

PRIVILEGIVM XXXI.

Qui pro Republica ceciderunt perpetuo per gloriam viuere, & eo non minus patri, quam viui liberi ad excusationem munerum prodesse solent.

EPITOMA.

1 *Præmio & pœna Respublica omnis continetur, maxime res militaris.*
2 *Præmia illis, qui in bello occubuerunt, antiquitus apud diuersos populos constituta memorantur.*
3 *Romana Respublica.*
4 *Qui pro Republica ceciderunt, perpetuo per gloriam viuere intelliguntur.*
5 *Præclarissime honoratos, quorum memoria legibus consecratur, ostendo.*
5 *Qui pro Republica ceciderunt, patri non minus, quam viui liberi prosunt, horumque corpora, etsi non appareant, solemniter lugenda.*
7 *Qui pro patria cecidisse habeantur, explicatum.*
8 *Priuilegii huius natura rara.*

1 QVi præmio † ac pœna Rempublicam omnem contineri dixit, vere ac prudenter dixisse, non ratio tantum, sed qui hunc sequitur euentus quoque & experientia, quotidie docent. Itaq; duobus hisce generibus omneis olim bene constitutas Respublicas

vsas

vſas fuiſſe, & hodie, ſi quæ ſunt, vti videmus. Inprimis in rei militaris adminiſtratione magnam vtriuſque vim atque vtilitatem eſſe, exempla teſtantur. Cuius enim rei præmium ſit in ciuitate, eam maximis ſemper auctibus creſcere; ſic pace bonos, ſic bello fieri: pulcerrime Conſules Romani apud Tit. Liuium *lib. 4. annal.* concionantur. Et Pericles apud Thucydidem *lib. 2.* apud quos maxima proponantur virtutis præmia, in eorum Republica viros ait eſſe præſtantiſſimos. Itaque † etiam omneis Reſpublicæ, quarum ma- 2
ior fuit olim armorum bellique gloria, tum alia ciuibus ſuis & militibus præmia honoreſque propoſuerunt, tum vero quo tanto æquiore ac promtiore animo mortis diſcrimen adirent, in bello pro patria cæſis honores certos, liberis item, parentibus, cognatiſve eorum, ſolatia quædam conſtituerunt. Qua de cauſſa ſecundum Plat. *lib. 5. de Republ.* illi, qui fortiter fecerunt, omni genere hominũ cumulandi ſunt: mortem vero vitæ æqualem paſſi, ſecundum Heſiodum æſtimandi ſunt, δαίμονες ἁγνοὶ ἐπιχθόνιοι, ἐσθλοὶ, ἀλεξίκακοι, φύλακες μερόπων ἀνθρώπων. Eoque iſtos, vt diuinas quaſdam & beatas animas venerandos atque aduocandos, vt ſepulcra quoq; eorum, Plato cenſet. Hinc Spartanos, quos non immerito magiſtros militaris diſciplinæ Plutarchus in Pelopida appellat, defunctos neque lugere, neq; lamentis proſequi, nec monumentorum inſcriptionibus honorare, præter ſolos, qui in bello ceciderant, inſtituta patria ſinebant: vt idem auctor ſcribit. Cui conſentit illud *in 12. tabulis: Homini mortuo ne oſſa legito, quo poſt funus facias; niſi belli peregre ve mortuo.* Athenienſes, quos nõ minus innumera paſſim erecta trophæa victoriæque, quã literæ & ſtudia humanitatis nobilitarunt: quanto cum honore ac ſolẽnitate bello peremtos publice ſepelierint, liberos quin etiã eorũ publice aluerint, ꝓlixe Thucyd. *d. lib. 2.* deſcribit. Et pleni ſunt hiſtoricorum libri, quanta cum cura, quantaq; cum religione omnes Græci, gens omniũ humaniſſima & prudentiſſima, in præliis belloq; interfectorum corpora recuperare ac ſepelire conſueuerint. Quin de clariſſima & prudentiſſima Venetorum Republica eos poſt pugnam cum Carolo VIII. Franciæ Rege, non ſolum ſtipendia iis auxiſſe, qui fortiter egerant, ſed & complurium, qui in acie ceciderãt, filiis ſtipendia aliaq; præmia, filiabus vero dotem contuliſſe, nõ contemnẽdus auctor F. Guicciar. ſcribit. Quod iterum feciſſe accepimus anno poſt Chriſtũ natum 1571. poſtquam Selimi Turcarum Tyranni claſſem ad Naupactum ęterna cum gloria repreſſerunt.

3 His omnibus, † vt felicitate & numero victoriarum ſuperiores
Romani, ita diſciplina militari inſtitutiſq; non inferiores fuerunt.
Itaque præterquam, quod milites viuos multifariis præmiis atque
honoribus, quæ nunc enumerare longum eſſet, cumularunt, mor-
tuorum quoque cæſorumque militum memoriam cum honore &
veneratione coluerunt. Hinc illa laudatiſſima ac nobiliſſima legiſ-
4 latoris Romani ſententia atque decretum, † qua eos, qui pro Re-
publica ceciderunt, in perpetuum per gloriam viuere, ideoque
non minus quam ſuperſtites liberos parentibus ad excuſationem
munerum prodeſſe, iubet, *Inſtitut. de excuſat. tut. in princ. l. bello, 18.*
5 *ff. eod. l. vlt. ff. de vacat.* Enimuero † multi ſunt, qui, vt vitam ſilentio
ſicuti pecora tranſegerunt, ita poſtquam vita exceſſerunt alta æ-
ternáque obliuione ſepulti iacent. Sunt vero non pauci, qui res
magnas claraſque geſſerunt, quarum cauſſa & ipſos memoria egre-
gia ac gloria manet. Sed qualeſcunque hi fuerint, volitant ſane
per ora hominum, & in admiratione ac laude multorum verſan-
tur: nunquam tamen (præter paucos, quorum id eximia ſimul vir-
tus & felicitas impetrauit) iſtorum memoria legibus conſecra-
tur, vt non in animis tantum & ſermone hominum, ſed adhuc in
vita & ſuperſtites eſſe credantur. Magnis ſane atque eximiis lau-
dibus ciuium ſuorum, qui in bello ceciderant mortem Pericles a-
pud Thucydidem effert: *Pro Republica*, inquit, *corpora deuouerunt,
priuatim immortalem gloriam reportarunt, & ſplendidiſſimum ſepulcrum,
non tam in quo ipſi quieſcant, quam vbi eorum gloria, vt ſe quodque tem-
pus offert, verbis factiſque celebranda, perpetuo & ſine obliuione conda-
tur. Illuſtrium quippe virorum omnis terra ſepulcrum eſt, neque tam apud
ciueis ex ſaxorum noſcitur inſcriptione, quam apud exteros ſine ſcripto me-
moria, in animo cuiuſque potius, quam in manufactis operibus verſatur.*
Quæ quamuis magno cum pondere dixerit, haud tamen adeo
certam atque euidentem iſtis memoriam, vt Romanæ leges, ad-
6 iecit. Nemo † igitur de iſtis vel clariſſimis viris adeo per gloriam
viuere intelligitur, vt patri non minus ac viui liberi proſit. Vniuer-
ſe enim, defunctos liberos patri ſe excuſaturo prodeſſe negant *l.
excuſantur, 2. §. oportet, ff. de excuſat. Inſtitut. eod. tit. in princip. d. l. vlt.
ff. de vacatione*, ſolos excipiunt, qui in acie ceciderunt: adeo vt etſi
corpora talium non appareant, ſolemni tamen & legitima ratio-
ne lugeri debeant: vt iubet *l. vlt. in fin. ff. de his qui notan. infam.* Ne-
mo ergo alius tam certam tam præſentem memoriam adipiſci vi-
detur:

detur: soli hi non tam in memoria hominum defixi (quam in vitam restituti, imo conseruati præclarissimæ mortis decore habentur.

Quæritur autem † non immerito, vtrum omnes omnino, qui per caussam belli vitam amiserunt, ad hunc modum viuere, & parentibus prodesse lex velit? Et respondet Imperator: Eos solos, qui in acie ceciderunt pro Rep. cecidisse, priuilegioq; comprehendi: non eos, qui quoquo modo per caussam belli absumti sint, *d. l. bello, Instit. in princ. d. tit.* Ratio in promtu est, quoniam non militanteis tantum pugnāteisque, sed fœminas quoq; persæpe, pueros, aliamq; imbellem & inermem turbam belli furor absumit: nec omneis hostili ferro, sed multos fame, incendio, ruina, & similibus casibus exstingui notum est. Ceterum cum eos tantum, qui in acie ceciderūt, hoc iure frui iubet Imperator, nō debet hoc ita stricte nec tam inique accipi, vt isti soli, qui in iusto prælio atque pugna occubuere, intelligantur. Equidem aciem quandoq; pro exercitu suis ordinibus disposito atq; instructo, quandoq; pro ipsa pugna solemni & totis vtrinque copiis collata sumi, non ignoro. Sed quæ caussa afferretur, cur illos, qui etiam in leui dimicatione aut prælio, imo singulari congressu fortissime dimicando ceciderunt, excludas? An tu maiorem gloriam, maiusq; præmium meruisse dices tyronem aliquem aut gregarium ad Cannas aut Thrasumenum lacum trucidatos, quam Manlium aliquem Torquatum aut Valerium Coruinum, si cum singulari hoste per prouocationem dimicātes gloriose occubuissent? Nec ignota est Latinis loquendi ratio, eum, qui in acie cecidisse dicitur, in conflictu oppetiisse mortem intelligi: nec distingui, quo genere pugnę fatalis ipsi hora venerit. Vnde vniuerse eos, qui in bello ceciderunt, lugere iubet *d. l. vlt. ff. de his qui notan. infam.* Sic in obsidione quoque militanteis, siue in defensione siue oppugnatione vrbis aut castri mortem oppetant, in acie & pro patria cecidisse dicemus. Nec enim de hoc casu dubitat *d. l. bello*, sed de illis, quos antea memoraui, cum quis pater liberos impuberes aut imbelleis occasione obsidionis amittit. Hos prodesse patri lex negat: non illos, qui in expugnanda infestissimorum hostium vrbe, aut reiiciendis a muris patriæ iisdem, maiorem sæpe Reip. suæ operam præstant, quam cum ingentibus copiis dimicatur. Militibus igitur solis, quos officii sui & sacramenti ratione ducente mors sustulit, non aliis, quos belli pernicies exstinxit, hoc priuilegium dari intelligendum.

8 Illud postremum in † isto priuilegio mirabile esse videtur, quod reliqua priuilegia personalia cum persona finiantur, hoc vero extincta demum persona oriatur. Sed qui naturam ac rationem illius probe inspexerit, idque totum fictione iuris quadam constare cogitauerit, qua gloriose mortuus viuere potius & coli præsens videtur, mirari desinet.

PRIVILEGIVM XXXII.

Coloni ad militiam non admittuntur.

EPITOMA.

1 *Summa huius priuilegii.*
2 *De colonis in priuilegiis rusticorum rectius dicetur.*

1 COlonos † nulla ratione ad vllum quamuis humilioris militiæ locum admittimus, quia in hac parte & dominorum iuri, & publice consulimus honestati, aiunt Imperatores, *in l. colonos nulla, 19. C. de agricolis & censitis, lib. 11.* Quo facit *l. omnes omnino, 6. l. originarios, 11. ibid. l. fin. C. de municipiis & colonis, & c. lib. eod. l. 1. C de fugitiuis & colon. ibid. l. quicunque, 10. C. de re milit. lib. 12.* Publicæ nimirum honestati militumque dignitati consultum illi voluerunt, dum homines abiectæ vilisque, imo seruilis pene (vt illa tempora ferebant) conditionis, militibus suis admisceri noluerunt. Ceterum, quoniam huius priuilegii interdictum æque aut magis ad colonos per-
2 tinet, hic plura verba facere supersedebimus. Sub titulo enim † de Rusticorum reiq; rusticæ priuilegiis, tum de colonis, tum hoc priuilegio aptius prolixiusque dicetur. Tantoque id hoc loco rectius omittemus, quandoquidem & agricolarum hodie paulo liberiorem (paucis exceptis) diuersamque a priscis illis colonis conditionem, & ipsum ideo priuilegium in desuetudinem vbique locorum venisse videmus. Antiquissimorum enim Romanorum reuocato, tum per omnem Germaniam, tum alias Romani Imperii prouincias, more, sine discrimine tam ex agris, quam vrbibus militem conscribere solemus. Idque recte atque vtiliter fieri, cum de Rusticorum iure dicendum erit, rationibus exemplisque monstrabo.

PRIVI-

PRIVILEGIVM XXXIII.

Arma militibus non in militia tantum, sed extra illam permissa.

EPITOMA.

1 *Armorum vsus omnibus interdictus.*
2 *Venationis, itineris, nauigationis, promercii caussa arma habere licet.*
3 *Militibus arma non in militia tantum, sed & extra illam permissa, & numer. 8.*
4 *Quæ arma hic intelligantur ostendo.*
5 *Armorum alibi maior licentia.*
6 *Maxima per Germaniam.*
7 *In Austria rusticis ademta non ita pridem arma, nuper reddita.*

ARmorum † vsum omnibus interdixit Imp. *in auth. de mandatis, §. vlt. & in auth. de armis*, quin leg. Iulia de vi publica teneri eum, qui arma, tela, domi suæ, agroue habeat, ait *l. 1 ff. ad leg. Iul. de vi publ.* 1 Excipiuntur † tamen, quæ quis venationis, itineris, nauigationis, 2 promercii caussa habuerit, *d. l. 1 & 2. d. t.* aut quæ quis hereditate accepit, *d. l. 2. & fac. l. quædam, 62. ff. de adquir. rer. domin. l. decurio, 4. ff. de decurionib.* De quo interdicto absolute ac diligenter scripsit Iacob. Menoch. *de arbitr. iudic. lib. 2. cent. 4. casu 394.* vbi de sententia Doctorum, quos allegat, id non tantum ad rusticos, sed nobileis quoque homines, clericos, & plures alios pertinere demonstrat.

Militibus † tamen armorum vsum expresse permisit *d. authen. de mandat. pr. §. 1.* Et iubent hoc leges omnes rationesq; illæ, quæ armis 3 milites perpetuo occupari atq; inhærere iubent, *l. milites, 31. C. de locato, l. scimus, 22. in pr. C. de iure delib.* non tantum in ipso bello, sed & extra exercitii caussa, *l. milites, 15. D. de re militari, lib. 12.*

Intelligendum † autem hoc maxime de armis militaribus & se- 4 cundum consuetudinem cuiusq; loci. Militaria arma voco, hastas, sagittas, arcus, bombardas, galeas, thoraces, & similia. Enseis enim & minora tormenta multis in locis omnib. gestare permissum est. Itaque † maxime consuetudo loci & Regionis obseruanda. Per o- 5 mnem enim fere Italiam bombardæ, sicæ, & similia tela, interdicta sunt. Multis tamen in locis enses non prohibentur: contra alicubi etiam cultelli acutiores periculum creant. Item in Francia armorū

6 vſus ſæpius interdictus. At per † Germaniam maxima paſſim armorum libertas: ſed illa quoq; alibi maior, alibi minor. Enſib. enim accincti etiam ruſtici quolibet vadunt. Quibuſdam in locis bombardas, earumq; exercitia omnibus, etiam ruſticis, permiſſa video.
7 In † Auſtria poſt proximam rebellionem pleriſque agricolarum & colonorum arma cetera ademta, gladii tamen ſeu cultri maiores & ſimilia tela relicta. Rurſus autem nuperrima Hungarorum & Tartarorum irruptione omnes ſummo ſtudio armati. Sed infinita eſt huius rei varietas. Itaq; illud † tamen vniuerſe tenendum, militaria arma nemini de iure ſiue ignobili ſiue nobili permiſſa: quamuis domi nemo habere fere prohibeatur: Solos autem milites iſthæc vbilibet, intra tamen diſciplinæ ſuæ limites, non habere tantum, ſed geſtare quoq; & vti, ſiue ornatus ſiue exercitij cauſſa velint, imo vim etiam ratione poſtulante iiſdem inferre, poſſe.

PRIVILEGIVM XXXIV.

Res exercitui paratæ præſtationi vectigalium non ſubiiciuntur.

EPITOMA.

1 *Communiter vectigal omnes, etiam milites, ſoluere tenentur.*
2 *Summa priuilegij præſentis.*
3 *Frumentum ad exercitum miſſum omnes mercari prohibentur.*
4 *Priuilegium hoc non ſingulis militibus, ſed vniuerſis datum.*
5 *Cauſſa huius priuilegij, annonæ & huius generis ſpecierum in exercitu neceſſitas.*
6 *Exceptio quædam.*

CIrca res quoq; exercitui paratas aut miſſas priuilegium milita-
1 re inuenimus. Nam † communiter omnes vectigal ſoluere tenentur, nec reſcripto vllo aut militia excuſantur, *l. omnium, 6. l. ſequent. Codic. de vectigal.* Licet enim pœna commiſſi milites liberati ſint, vt *priuileg. 10.* oſtendi: nihilo tamen minus portoria, vel poſtea exſoluere tenentur: vt ibidem docui. Sic emtionis quoq; contractum iure gentium introductum, & ea re omnibus permiſſum, ſupra *priuileg. 9. in princip.* indicaui. Quæ quamuis ita iure communi
2 obtineant, res † tamen exercitui paratas præſtationi vectigalium ſubiici non placere ait *l. locatio, 9. §. res exercitui, 7. ff. de publican. & fac. l.*

fac. l. si publicanus, 4. §. 1. & ibidem glossa, dict. tit. Frumentum item adexercitum † missum omnes mercari prohibentur: adeo vt qui 3
contra fecerint, honestiores quidem stylum proscriptionis incurrant; inferiores autem vilioresq; personæ capitali supplicio subiaceant, *leg. final Codic. quæ res vendi non possunt.* Hinc Galbum Cæsar. Suetonius in vita illius scribit, militi, qui per expeditionem annona arctissima residuum cibariorum tritici modium centum denariis vendidisse arguebatur, vetuisse, simul atque indigere cibo cœpisset, a quoquam opem ferri, & hunc fame extabuisse.

Notari autem conuenit, priuilegium † hoc non singulis pro- 4
prie militibus, sed vniuersis simul, exercitui nimirum, datum. Caussam † ponit *dict. lex vltim.* ne in prædam lucrumque vertatur. Vbi 5
duo vocabula probe tenenda. Annonæ enim ceterarumque rerum, quibus exercitus opus habent, subuectionem & comparationem, maximi in rebus bellicis administrandis momenti esse, omnibus notum est. Ingenteis enim sæpe exercitus, aut dissipatos, aut deletos, pulcerrima consilia cœptaque impedita, rerum necessariarum, annonæ inprimis, defectu, exempla docent. Itaque Vercingetorix ad suos apud Cæsarem *lib. 7.* de bello Gallic. Romanos ait aut inopiam non laturos, aut magno periculo longius a castris progressuros: neq; interesse, ipsos interficiant, impedimentisue exsuant, quibus amissis bellum geri non possit. Quocirca vt res tam vtilis, tam necessaria exercitibus non deesset, hoc inter alia priuilegio prouisum est. Nam vt tanto libentius tantoque abundantius res eiusmodi in castra conuehantur, a vectigalium præstatione (non leue hoc quæstui deditis inuitamentum) liberantur. Interim ne aliis hoc commodo cedat, quam quibus est destinatum, magno supplicio res istas alii emere prohibentur. Itaque huic maxime isto priuilegio prospectum est, vt & milites res necessarias maiore copia haberent, & ne ista prædæ lucroue, quibus non debent, cederent. Hæc priuilegii istius ratio caussaque indubia est. Vbi illud tamen † obseruandum, non vtique pœ- 6
næ propositæ succumbere illos, qui forte casu res leueis & exiguas ex his emant. Cessare enim puto finem priuilegii & rationem. Atque hoc quidem priuilegio etiam hodie res militaris fruitur. Eos enim, qui in castra res necessarias conuehunt a vectigalibus

immuneis videmus, nec impune laturum certus ſum, qui res eiuſmodi cauſſæ comparatas emere auſus fuerit. Cetera, quæ huc pertinent, ex præfectis annonæ & militaribus legibus atque inſtitutis melius diſces.

PRIVILEGIVM XXXV.

Sportularum in iudicio ſoluendarum exactio circa milites minuenda.

EPITOMA.

1 *Summa priuilegij.*
2 *Vſus eius hodiernus & fructus.*

1 VT item tanto amplius fortiſſimis † proſpiceretur militib. ſportularum quoque in iudicio ſoluendarum exactionem moderandam cenſuit Imp. *vt in l. vlt. §. vt autem. C. de re militari, lib. 12.* expreſſum habemus. Ceterum cum vt reliqua iudiciorum forma ac ſolemnia, ita ſportularum quoq; hodie ratio immutata ſit, legis illius totiuſq; huius rei explicationem ab aliis, quibus id operæ fuit,
2 petas licet. Hoc autem † priuilegio illud interim militibus collatũ ſcias, vt mitius quoad ſportulas & ſimileis litium expenſas, q̃ ceteri tractentur: ita tamen, vt in perſona quoq; eorum, qui cum militibus litem habuerint, eadem forma ſeruetur, *d. l. vlt. d. §. vt autem.*

PRIVILEGIVM XXXVI.

Circa metata & hoſpitia militum non facile quiſquam cenſetur immunis.

EPITOMA.

1 *Priuilegij ſumma.*
2 *Priuilegio hoc milites ne abutantur.*

1 CIrca metata quoque † ſeu hoſpitia ſua milites habent priuilegium, vt in hac cauſſa nemo facile cenſeatur immunis, *vt l. omnes, 9. cum l. ſequent. & tot. tit. C. de metatis, lib. 12.* ſatis declarat. Hic
2 tamen illud tantum militibus datum credere debemus, vt omnes hoſpitia eis ac metata præſtare cogantur, præter paucos, quos olim dictæ leges, nunc autem hodierna cuiuſque Regionis ac prouinciæ conſue-

consuetudo eximere solet. In quo illud summopere cauendum, ne huius priuilegii aut iuris prætextu prouinciales, & inprimis inopes atq; egeni, peruerse aut supra modum grauentur, *l. illicitas, 6. §. ne tenuis, ff. de officio præsid.*

PRIVILEGIVM XXXVII.

Militibus ad petēdam inuestituram anni & mensis indulgetur spatium.

IN inuestitura deniq; feudi petenda milites priuilegium seu prærogatiuam præ aliis habent. Cum enim inuestituram feudi antiqui, intra annum & diem ab eo tempore, quo casus petendæ inuestituræ euenit, petere vasallus teneatur, *cap. 1. in princ. quæ fuit princip. causs. cap. 1. in princip. de capit. Corradi, cap. 1. §. fin. de prohibit. alienat. feudi per Frideric.* armatæ tamen militiæ vasallis, quibus alia plura, vt audiuimus, data sunt priuilegia, ad petendam inuestituram anni & mensis indulgetur spatium, *cap. 1. in princip. & ibi Andreas de Isern. numer. 2. Baldus Aluarot. numer. 2. Præposit. numer. 4. quo tempore milit.*

Finis Libri Secundi.



GEORGII ACACII ENENKELII
BARONIS HOHENECCII,

DE PRIVILEGIIS VETERANORVM,

Liber Vnus.

SVMMARIA.

1 *Veterani qui dicantur, descriptum, & n. 3. 8.*
2 *Veteranum proprie idem est quod vetus.*
4 *Hoc loco illi præcipue veterani intelliguntur, qui plenam ab omni militia missionem habent: & hi soli proprie veterani habendi.*
5 *Veterani aliquando milites improprie dicuntur.*
6 *Euocati.*
7 *Missionum genera tria, honesta, caussaria, ignominiosa.*
9 *An hodierna quoq; militia veteranos habeat, quibus præsentia conueniant, differitur.*
10 *Honoratiores plerunq; habentur, qui multa stipendia fecerunt.*
11 *Principes nonnulli emeritos & senio laboribusq; confectos milites missione honesta, & commodis certis donare solent.*
12 *Equestres homines an priuilegia veteranorum habeant quæritur.*
13 *Quo fine & vsu nunc de priuilegiis veteranorum doceamus ostensum.*
14 *De auctore & origine horum priuilegiorum.*
15 *De caussis eorum.*
16 *Quibus hæc priuilegia data innuitur.*
18 *Priuilegia hæc personalia sunt, & n. 19.*
18 *Priuilegium veteranorum ad filios quoq; eorum extenditur.*
20 *Ob senium, non perfecto iusto militiæ tempore, honeste missus, non omnia habet priuilegia, quæ illi, qui stipendia legitima compleuerunt.*
21 *Honoratioris militiæ genus quandoq; præfertur.*

22 *Veterani, vbi non expressa priuilegia habent iure communi viuere debent.*

23 *Qui inter nocturnos custodes Romæ militauerit, anni solius habet remissionem.*

24 *Veterani post annum dimissionis aduersus filios commilitonum non habent excusationem tutelæ.*

25 *His priuilegijs renuntiari potest.*

26 *Qui renuntiauit, priuilegio tantum quatenus renuntiauit carebit.*

27 *Delicto hæc priuilegia amittuntur.*

PRoxima sunt & inprimis cognata priuilegiis militum priuilegia veteranorum: quæ ideo nunc breuiter describemus. Omnium autem primum hac in parte potissimumq; est, vt priusquam ad alia 1
huius generis procedamus, qui sint pro veteranis habendi definiamus. Itaque veteranum † proprie idem, quod vetus esse, scien 2
dum est. Sic veteranum pecus, & veteranas vites, Columella dicit. Sic veterana castra, pro antiquis, *l. si ut fieri. 4. vbi gloss. Codic. de erogat. milit. annonæ, lib. 12* Sic veterana mancipia, quæ anno continuo in vrbe deseruierint, appellat *l. interdum, 16. §. quoties, ff. de publican. & vectigal.* Sic Pœnum hostem veteranum trium & viginti annorum militia duratum vocat Tit. Liuius *libr. 21.* annalium: & veteranam legionem Cæsar *libr. 7.* de bello Gallico. Secundum † hæc 3
milites quoque veteranos dicere possumus, qui aliquot annos in militia exegerunt: vt nouitios seu tyrones, qui primo arma induerunt. More autem & legibus Romanorum veteranos dictos, veteranorumque iuribus vti potuisse eos sciendum est, qui post viginti annorum impleta stipendia honestam, vel caussariam missionem acceperunt, *l. 8. ff. de excusat. tut. leg. 1. Codic. de excusat. veteranor. l. 7. Codic. de fide instrument. l. vltim. Codic. de his, qui non impletis stipend. &c. libro 10. leg. vltim. Codic. de mancipiis & columnn. patrimon. lib. 11. l. 2. Codic. de re milit. libr. 12.* Enimuero illos quoque veteranos quandoque appellatos, qui viginti aut plurium annorum emerita stipendia habentes, sine missione plena sub vexillis detinebantur, tum ex aliis auctoribus, tum inprimis ex annalibus Cornelii Taciti, in seditione Pannonicarum & Germanicarum legionum apparet. Sed id totum inde profectum est, quod vicina stipendia meriti, missionem plerumque accipiebant,

aut iure certe & moribus accipere debebant: vt satis ex querelis & postulatis dictarum legionum apud Tacitum intelligitur. Tales quidem, veteranos etiam ante missionem vulgo dictos crediderim, vere autem veteranos fuisse omnino nego. Docent id ex-
4 presse dictæ † modo leges, omnes pro veteranis accipientes eos, qui plenam ab omni militia missionem habent: tum vero & illæ leges omnes, quæ de priuilegiis veteranorum loquuntur: vbi plurima non competunt in veteranos in militia constitutos, sed in dimissos sacramentoque solutos, & domi agenteis. Et omnes fere leges, quæ de priuilegiis veteranorum agunt, satis euidenter, de his, non de illis se loqui ostendunt. Ante omneis vero hæc confirmat, *l. 1. Codic. de veteranis, libr. 12.* in qua cum plurima veteranis solemniter largiatur Constantinus Imperator, illa tamen omnia talia sunt, quæ vel prius data fuerant militantibus, vel in milites competere non possunt. At superuacuum & inutile fuisset, ea priuilegia pro singulari veteranis præmio dari, quæ vel per se iure militiæ eis competebant, vel ob id ipsum, quia militabant eis inutilia & interdicta fuissent. Quare cum priuilegia omnia cum effectu intelligenda *in libro de priuilegiis iuris ciuil.* ostenderim, sequitur omnino, priuilegia veteranis data his tantum data intelligi, qui sacramento militiaque soluti sunt: & proinde veteranos
5 quoque proprie hos solos haberi. Quod autem † veteranos aliquando milites dici, *supra libr. 2. de priuilegiis militum, priuileg. 16. num. 26.* contendi: apparet, id quidem eis aliquando nomen imponi, sed improprie, & ob memoriam potius pristini status. De
6 Euocatis † autem, de quibus ibidem meminimus, sciendum, illos quidem & veteranos veros & milites veros fuisse: sed eorum plane extraordinariam, & ciuilibus tantum bellis (vbi omnia turbari solent) vsitatam militiam fuisse: & eo neque dicta hæc vllo modo euertere posse. Qui igitur veterani sint, & quæ missionum ratio, ex legibus iuris ciuilis tutissime & aptissime petemus. Hæ
7 tria nobis missionum genera † tradunt. Est enim honesta missio, quæ tempore militiæ impleto datur, *l. milites, 13. §. missionum, ff. de re milit ari, l. 2. §. 2. ff. de his, qui notantur infamia, leg. ex testamento, 5. C. de testament. milit. l. 7. Codic. de fide instrum. r. l. 8. §. ita autem, ff. de excusat. l. penult. C. quando prouoc. non est necesse, l. vltim. C. de his, qui non impler. stipend. libr. 10.* quam alii iustam appellant. Est caussaria, cum quis vitio animi vel corporis minus idoneus militiæ renuntiatur,
d. l. mili-

d.l.milites,13.d.§.d.l.2.d.§.2 d.l.8.d. §.ita autem,l.4.ff.de testament.milit.l.vlt. C.de his qui non impletis stipend.lib.10.l.1.C.de excusat.veteranor.l.penult. C.quando prouocare non est necesse, l.semel,6. l.caussaria, 8. C.de re militari, lib. 12. quæ & ipsa honesta est, *d.§. ita autem.* Est denique ignominiosa, cum quis propter delictum sacramento soluitur, *d.l.milites,13.d.§.missionum,d.l.2.d.§.2. d.l.8. §.1. & d.§.ita autem,l.3. C.de re militari,lib.12.l.vlt.ff.de furibus balnear.* Ex hisdem legibus non solum tria missionum genera esse probatur, sed illud quoq; euidenter astruitur, † post vicesimum demum annum honestam, vel caus- 8 sariam missionem adeptos, veteranorum nomen ac iura habere: eos vero, qui ignominiæ caussa mitti solent, ab vtroque penitus exclusos atque remotos. Sed vtrum genus aut locus militiæ differentiam aliquam circa veteranos introducat, non immerito quæritur? Ego cum *d.l.8.§. veteranus, ff. de excusat.* veteranos esse dico, nō solum legionarios, sed & omneis, qui qualitercunq; militarunt. Nam quod *l.vlt.C.de his qui non implet.stipend.* eos, qui in cohorte militarunt, ab his, qui in legione aut vexillatione militauerunt, reiicere videtur: nihil prædictis obstat. Non enim veteranos illos esse negat, sed tantum munerum eis personalium vacationem denegat. Ex his igitur, qui pro veteranis proprie habendi sint atque censendi, satis constare opinor.

Sed & illa quæstio, † priusquam vltra progrediamur, mouenda; 9 vtrum hodie quoque militia nostra veteranos, quibus iura hæc & priuilegia conueniant, habeat, an minus? Nisi enim tales etiam hodie sint, vana atque inutilis hæc omnis videbitur disputatio: & proinde ad Grammaticos potius ableganda, quam hac in parte pluribus agitanda. Verum enimuero, vt reliqua disciplina atque instituta militiæ priscæ iam pridem partim aboleuerunt, partim immutata sint, ita veteranorum quoque militum tam nomen, quam rem pene euanuisse palam est. Nec enim quisquam hoc nomen accepit, nec vicena stipendia vsquam obseruari video. Non nego † ho- 10 noratiores plerunque haberi, qui multa stipendia fecerunt, sed peculiarem his ob hæc titulum aut iura tribui, non video. Nec illud nego, Reges nonnullos & Principes, emeritos & senio laboribusq; confectos milites, missione honesta, præmiisque & perpetuo victu donare: quales veterani dici, & iura quoque eorundem sibi vendicare forte possunt. Sed hoc neque omnes, neque semper, neque omnibus locis faciunt. Illos item milites, quos Equites † nuncupa- 11

mus, qui, vt supra ostendimus, nomen quidem militare & insignia præ se ferunt, re autem ipsa in vmbra atque deliciis potius, quam sole & militaribus versantur: veteranorum tamen priuilegia sibi arrogare posse, Doctores quidam autumant. Mihi autem tales neque nomen veteranorum, neque iura proprie habere videntur. Libro enim primo de priuilegiis iuris ciuilis *cap. 6.* copiose de his disputaui & duorum generum eos esse ostendi; veros nimirum equites siue milites, & imaginarios, seu vmbratiles: & hos quidem peculiarem aliquam, licet non militarem dignitatem, peculiaria etiam quædam priuilegia habere docui; illos autem, vt equites, ita milites verissimos, omnibusque iuribus militaribus dignissimos esse, abunde monstraui. Neutri igitur veterani dicendi. Illi enim milites iam exsistunt futurique sunt: hi neque fuerunt, neque sunt milites. Veterani autem, vt supra docui, milites quidem non sunt, sed fuerunt. Ex his igitur veteranos, hodie nullos, nec qui priuilegiis eorum gaudeant esse: ac proinde descriptionem quoque horum superuacuam parumque vtilem esse, sequi omnino videtur. Verun-
13 tamen † quoniam, vt prædictum, quidam hodie Doctores atque Interpretes iuris priuilegia horum ad alios extendere & transferre solent; quoniam item cum priuilegiis & iure militari hæc magnam cognationem habent, multisque etiam lucem & certitudinem afferre possunt; quoniam denique propositi hoc nostri institutique est, vt priuilegia omnia iuris ciuilis, quod etiam hodie viget, nec vlla pars eius expresse sublata est, describamus: ob has inquam caussas non inanẽ plane aut otiosam me operam facturum ratus sum, si quæ de priuilegiis veteranorum tam vniuerse, quam in specie dici possunt, quam paucissimis verbis proponerem. Quod, vt tanto melius fiat, maiora tantum capita, & quæ magis singularia videbantur, attingemus; reliqua generali de priuilegiis doctrinæ permittentes.
14 Ac primo de auctore † priuilegiorum illud pro certo habendum, eundem iuris, qui ordinis veteranorum auctorem atque introductorem fuisse. A quo autẽ & quo tempore veterani fieri cœperint, non satis inuenio. In iure nostro Imperatores, qui priuilegia eorum vel confirmarunt, vel auxerunt, Antonium, Gordianum, Constantinum, Diocletianum, Maximianum, Iustinianum, & alios habemus. In quibus maxime memorabilis est *l. 1. C. de veter. lib. 10.* vbi tum auctor, tum occasio atque caussa, tum forma quoque promulgationis priuilegiorum horum, ad hunc modum describuntur:

buntur: *Cum introissent principia, & salutatus esset a praefectis & tribunis & viris eminentissimis acclamatum est: Auguste Constantine, Deus te nobis seruet, vestra salus nostra salus, vere dicimus, iurati dicimus. Adunati veterani, exclamauerunt: Constantine Auguste, quo nos veteranos factos, si nullā indulgentiam habemus? Constantinus Augustus dixit: Magis magisq; conveteranis meis beatitudinē augere debeo, quā minuere. Victorinus veteranus dixit: Muneribus & onerib. vniuersis locis conueniri nō sinamur. Constantinus Aug. dixit: Apertius iudica, quae sunt maxima munera, quae vos cōtumaciter grauant. Vniuersi veterani dixerunt: Ipse perspicis. Constant. Aug. dixit:* 15
Iā nunc magnificētia mea omnib. veteranis id esse concessum perspicuū sit, &c. Ex † hisce verbis, (vt postremis quoq; eiusdē legis, ibi: *Integra beneficia eorū subsequuti nostri otio & pace perfruātur*) in primis, vt dixi, caussae quoque huius generis priuilegiorum apparent. Cui adde quoque *l. honor, 5. C. de poenis*, vbi honoris caussa, *& l. veteranis, 9. C. quando prouocare non est necesse*, vbi remunerandae fidae deuotionis ergo, priuilegia data asseritur: nec minus elegantem narrationem, quam ex Seneca retuli supra *lib. 1. de priuil. milit. cap 8. num 17.*

Circa interpretationem horum priuilegiorum † illud notare 16
conuenit, primo & potissimum haec priuilegia veteranis tribui illis, quos paulo ante descripsimus. Itaque omnia prius dicta hic in memoriam reuocanda, & secundum illa priuilegia haec iudicanda. Inprimis autem vt veteranus sit, qui veteranorum priuilegia vsurpare conatur, necesse est. Itaque hoc vel instrumentis super huiusmodi re factis, vel aliis euidentibus probationibus ostendi debet, *l. si solemnibus, 7. C. de fide instrum.*

Ex his & ceteris, quae diximus hactenus, † priuilegia haec perso- 17
nalia plane esse sequitur: non adeo tamen, vt non extendi aliquatenus per interpretationem possint. Extensio haec multiplex est.
Primo enim † honoris veteranorum seruandi caussa, liberi eorum 18
primi gradus poena metalli vel operis publici non afficiuntur, nec ad bestias damnantur, neque fustibus caeduntur, neque furca suspenduntur, aut viui exuruntur, & vniuerse plebeiorum poenis vel quaestionibus non subiiciuntur, *l. 3. ff. de veteranis, iuncta l. Diuo, 11. C. de quaest. cum l. moris, 9. §. ista fere. ff. de poen. l. 3. l. 5. C. eod.* Sed ad filios tantum seu primi gradus liberos haec extensio, vt dictum, procedit: & tantum in poenis ac quaestionibus. Aliis enim veteranorum priuilegiis non gaudent liberi eorum, arg. *l. in honoribus, 8. §. 2. ff. de vacat. mun.* Ex † quo priuilegium hoc personale esse, euidenter probatur. 19

Reale enim non ad filios tantum, sed ad omnes omnino liberos atque heredes transit. Hoc verò solis filiis ob personam & honorem parentum indulgetur, vt dictæ leges ostendunt. Sic qui ob perfe-
20 ctæ † ætatis senium, non perfecto statuto militiæ tempore, nec omnibus stipendiis decursis, sacramento solutus est: honestam quidem missionem consequutus est, & a ciuilibus muneribus, nec non etiam honoribus, vacationem habet: non tamen omnia priuilegia, quæ his competunt, qui pleno stipendiorum munere funguntur, vsurpare possunt, *l. 2. C. de his qui non implet. stipend.* Imo etiam illud vacationis priuilegium propter senium potius, quam militiam habere videntur: vt rectè sentit gloss. *in d. l. in verbo, itaque.* Ita illi quoque, qui non complent militiæ tempus, habēt remissionem tutelarum & reliquorum munerum ciuilium, sed non eandem cum iis, qui compleuerunt. Hi enim continuam habent & perpetuam immunitatem: illi autem ad tempus solum. Qui enim intra quinque annos militia solutus est, nullam sibi vindicauit immunitatem; qui autem post quinque annos, vnius anni habent immunitatem: qui post octo, biennii: qui post duodecim, triennii: qui post sede-
21 cim, quadriennii, *d. l. 8. §. 2. & 3. ff. de excusat.* Sic honoratioris † militiæ genus quandoque præfertur. Nam si quis in cohortibus vrbanis permilitauit, licet ante viginti annos mittatur, tamen habet perpetuam a tutelis excusationem, *d. l. 8. §. scribit autem.*

Sed vt extendi, ita restringi rursus hæc priuilegia quandoque
22 solent. Hinc † veterani in testamentis suis, etiamsi de castrensibus bonis testari velint, iure communi vti debent, quamuis alioquin magna sit in his militum libertas, *§. sed hactenus, Institut. de milit. testament. l. militis, 36. §. penult. ff. eod. tit. l. Papinianus, 8. §. 3. ff. de inofficioso testament. l. at veterani, 40. in princ. ff. ad legem Falcid.* vt & in aliis casibus, circa quos expressa priuilegia non habent, licet milites habeant, *l. 8. §. veterani, ff. de procuratorib.* Hinc viæ sternendæ immunitatem veteranos non habere, nec in tributionibus, quæ possessionibus fiunt, excusatos esse, & naueis eorum angariari posse, ait *l. 4. ff. de pri-*
23 *uileg. veteran.* Sic † qui inter nocturnos custodes, qui sunt Romæ, militauerit, anni solius habet remissionem, *d. l. 8. §. qui autem. ff. de excusat.* His igitur modis priuilegia veteranorum interpretari, extendere, limitare oportet.

De concursu horum priuilegiorum cum aliis eiusdem generis
24 loquitur *d. l. 8. in princ. Milites,* inquiens, *qui † honeste compleuerint militia*

litiæ tempus, aduersus omneis hodie priuatos remissionem tutelarum habent. Aduersus autem filios eorum, qui eidem ordini communicauerunt, & eorum, qui olim milites fuerunt, intra annum quidem dimissionis remissionem habent: post annum autem non habent. Coæqualitas enim honoris militiæ fortior videtur omni militum priuilegio, &c. Hæc adeo valent, vt superioris quoq; seu honoratioris ordinis miles inferioris tutelam suscipere cogatur. Etenim legionarius eius, qui inter nocturnos custodes militauit filiorum tutor fit, *d.l.8.* §.*veteranus autem.* Primipilarii tamen ex constitutionibus imperialibus excusationem habent reliquarum tutelarum: primipilarii autem filiorum tutores erunt, *dict.l.8.* §.*vlt.* Cetera, quæ de his casibus dici possunt, iis, quæ de priuilegiis vniuerse docui, iudicanda relinquo. Hæc hactenus breuiter.

Superest, vt de amissione quoque horum priuilegiorum pauca dicamus. Duo autem tantum attringemus, renuntiationes & delicta. Renuntiatione † autem priuilegia ista, perinde vt alia, quæ sunt mere personalia soloque impetrantis fauore nata, tolli argumento 25
est *l.vlt.* §.*vlt.ff.de veteran l.2.C.de excusat.veteran.l.1.C.de his qui sponte, &c.* Et suadet hoc ipsa ratio, quam *in libris de priuileg.iur.ciuil.* tradidimus, suo iuri atque fauori quemuis renuntiare posse, quatenus suus iam priuilegia veteranis sola fauoris eorum honorisq; habendi caussa introducta, nec alterius caussam aut præiudicium admisceri patet. In militibus vero diuersum tradit §.*idem & in milite, Instit.de excusat.tut.* sed aliam esse militum caussam supra in priuilegiis eorum ostendi. Verum quæ de veteranis † modo dixi, omnia se- 26
cundum regulas renuntiationum æstimari debent. Veteranus enim priuilegio renuntiãs, in eo quidem genere & casu, imo & aliis, quæ necessario cohærent atque sequuntur, ita sibi præiudicat, vt reuocare sententiam non possit, *l.vlt.* § *vlt.ff. de veteranis, l.penult.* §. *vlt.ff.de iure immunit.l.penult.* §.*vlt.ff.de vacatione muner.l.1.l.2.ibi, excepto decurionatu, C.de his qui sponte munera public.suscip.* antecedens enim, qui vult, vult omne necessarium consequens, *l.quamuis, 15. vbi Bald. C.de fideicommiss. l. Barsatoram, 13. ff. de fideiussor. l. illud dubitari, 77. ff.de adquiren. vel omitten. heredit.* Quoad alia interim, de quibus non sensisse probatur, nihil sibi præiudicasse videtur. Qui enim publici muneris vacationem habet, si aliquem honorem munusve sponte ac voluntate sua susceperit, ob id, quod patriæ suæ vtilitatibus cesserit, vel gloriæ cupiditate paulisper ius publicum relaxaue-

rit: competens priuilegium non amittit, neque labefactat, *d.l.2.* & *l.vlt.in princ.C.de his qui sponte,&c.l.2.in princ.ff.de veteran.l.voluntariæ,C.de excusat.tutor.authent.presbyteros.2.C.de Episcop.& cleric.* Ita, si certa lege, aut pacto, aut alia cum protestatione, aut partem tantum aliquam muneris cuiusdam agnouerint, præiudicasse sibi per
27 hoc non intelliguntur, *l.1.C.de his qui sponte,&c.* Delicto † denique hæc priuilegia amitti, vt alia, solent. Veteranos enim, qui ex negligentia vitæ nec rus colunt, nec aliquod honestum peragunt, sed latrociniis sese dederunt: omnibus veteranorum priuilegiis exutos, pœnis competentibus a prouinciarum rectoribus subiici iubet, *l.3.C.de veteranis.lib.12.& facit l.1.ibi,& integram famam retinent, C.de excusat.veteran.* Hæc de amissione quoque priuilegiorum dicta sunto, cetera ex communibus legibus petenda. Nunc singula veteranorum priuilegia strictim percurram.

PRIVILEGIVM VETERAnorum I.

SVMMA.

1 *Immunitas veteranorum describitur.*
2 *Quibus datum hoc priuilegium ostenditur.*
3 *Quorum munerum isti habeant immunitatem enarratur, & num.7.*
4 *An ab patrimonialibus muneribus, quæ sordida sunt, isti immunes queritur.*
5 *Veterani ab exactione tributorum quando immunes declaratur.*
6 *Quæ sint munera personalia, definitum.*
8 *Quomodo milites circa opera publica immunes sint, monstratur.*
9 *Veterani a collationibus extraordinariis immunes sunt.*
10 *A capitatione iidem excusantur.*
11 *Capitatio capitis est census seu tributum.*
12 *Veterani a deportatorio onere immunes sunt.*
13 *Quid hoc?*
14 *Circa vectigalia, venditiones, & publicanorum vexationes veterani immunes sunt & liberi.*
15 *Veterani si contra hanc immunitatem ad munera vocantur, prouocare necesse non habent, excusare tamen vtique se debent.*
16 *Fiscus neminem de his inquietato.*
17 *Priuilegium hoc personale est, & ne ad liberos quidem veteranorum extenditur.*

18 Honestè

18 *Honeste sacramento solutis data immunitates, non solum in iis locis, vbi originem habent sed etiam, vbi incola sunt, valent.*
19 *Hoc priuilegium aliis magis competit quam aliis.*
20 *Veterani aduersum filios aliorum veteranorm hoc priuilegio vti non possunt, & quatenus.*

PRimum autem ac potissimum veteranorum † priuilegium est, 1 quod, vt militibus, ita veteranis, qui post vicesimum annum militiæ quam in legione vel vexillatione militauerint honestam vel caussariam missionem consequuti sunt, onerum ac munerum personalium omnium vacatio atque immunitas in perpetuum tributa est, *l. vlt. C. de his qui non implet. stipend. l. 9. C. quando prouocare non est necesse, l. 1. C. de veteranis, l. 2. & l. vlt. ff. eod. tit. l. 2. C. de re militari, lib. 12. l. 1. C. de his qui sponte muner. &c.* Immunes item sunt ab operibus publicis, a collationibus extraordinariis, a deportoriis, & ne quid ciuitatibus vel publicanis ob venditionem proponendam præbeant, *d. l. 1. C. de veteranis,* adeo, vt ne fisco quidem liceat quenquam de his inquietare, quo minus emere, vendere, optimis negotiis pecuniam tractare & mercimonia agitare possit, *dict. l.* Hæc primi priuilegii summa est. Ex † qua illud primum patet, hos 2 tantum pro veteranis censeri, iuribusque tum aliis veteranorum, tum hoc quoque priuilegio frui, quos initio descripsimus. Apparet item, † personalium tantum munerum eis immunitatem, pa- 3 trimoniorum vero (vnum aut alterum, quæ modo enumeraui, excipio) non item, dari. Ab his enim neque milites, neque veteranos, neque Pontificem, neque quenquam alium quamuis priuilegio subnixum, excusari, expresse aiunt *l. vlt. §. ab huiusmodi, ff. de muner. l. 2. §. 1. cum l. seq. ff. de veteranis, l. 2. cum l. seq. C. de munerib. patrimonialib. l. ab his, 10. ff. de vacatione, toto tit. C. de quibus muner. nemini liceat se excusare.* Sane etiam † ab sordidis patrimoniorum muneribus 4 veteranos excusari, censet gloss. *in l. 2. C. de re militari, lib. 12.* Sed non animaduertit, Imperatorem ibi nec de personalibus, nec de patrimonialibus, nec de vllis ciuilibus, sed de militiæ muneribus loqui. Itaque recte doctissimus Cuiacius ad illam legem: *Qui in cohorte,* inquit, *prima viginti annis militarunt, non soluuntur militia, quasi emeriti, sed a sordidis militiæ muneribus excusantur.* Cum glossa nonnihil † etiam facere videtur *l. vltim. §. 1. ff. de veteranis,* quæ vetera- 5 nos ab exactione tributorum liberat: quam patrimonii onus esse

ait *l.3.* § *exactionem, ff. de muneribus*, ſed diſtinguit gloſſa in vtraque lege, imo ipſa potius *d.l.vlt.* Quippe ne exactores tributorũ (quod eſt munus perſonale) conſtituantur, hoc eis priuilegio prouidetur: non vero ne ab eis exigantur tributa. Hoc enim patrimonii onus eſt.

Ceterũ cum munerũ eos perſonaliũ immunitatẽ habere dixi,
6 quæ † ſint munera perſonalia ſcire refert. Sunt autem illa, quæ corporis labore & animi ſolicitudine, ſine patrimonii poſſeſſionumque gerentis detrimento, perpetrantur: vt deſcribuntur toto tit. Digeſt. *de munerib. & honorib. & toto tit. ſeq. ff. de vacat. & excuſ. muner. cum ſimil.* Species variæ ac plurimæ munerum perſonalium ibidem recenſentur: a quibus omnibus veterani immunes habendi. Ex-
7 preſſe autem, † excuſari eos a nauium fabrica & ne exactores tributorum fiãt, ait *d.l.vlt.ff.de veter.* a curis & tutelis, *l.ſed & milites, 8. ff. de excuſat.tut.l.2.C.de excuſat.veter.* ab cura annonæ & angariis, a veredorum & curſus vehicularis ſolicitudine, (non impenſa. Hoc enim patrimonii eſt, *l.fin.§.patrimoniorum, ff.de munerib.*) ab hoſpitis receptione, *l.fin. §.penult. d.tit.* quod patrimonii tamen magis onus eſſe videtur, *l.3. §.munus, 14. ff.d.tit.l.ſunt munera, 11.ff. de vacat. &c.* Sed & patrimoniorum quædam onera his remiſſa ſunt. Ex quibus pri-
8 mum eſt, ne in operibus publicis conueniantur. Id † quod obſcurius dictum perſonale hic onus remittatur, an patrimoniale dubium facit. Cura enim circa opera publica, ſiue exſtructa iam ſiue exſtruenda, perſonale munus eſt, vt docent *l.1.§.2.l.cura, 4.in princ. vbi gloſſ. l.vlt. §.ſed & cura, & §.hic quoque qui cuſtodes. ff.de muneribus, & alia.* Rurſus impenſæ quoque in opera publica non raro ſumuntur a priuatis. Quod eſt onus patrimonii. Iam verba legis, quæ in operibus publicis conueniri veteranos prohibent, neutrum notis determinant. Ego, ſaluo meliore iudicio, a perſonali tantum eos munere excuſari dixerim: tum quia plures ſupra dictæ leges veteranos a patrimonialibus excuſari negant, tum vero inprimis *ob l.ad portus, 6. & l.omnes, 11. C.de oper.publ.* quæ in hoc onerum genere neminem vllo priuilegio aut immunitate excuſari volunt. Sequitur
9 onus † patrimonii minus ambiguum, collationes: a quibus iidem immunes habẽtur. Sed cum a patrimoniorum muneribus atq; tributis veteranos vacationẽ non habere toties dictum ſit, de extraordinariis hoc, non de ordinariis collationibus gl. & Dd. recte acci-
10 piunt. A capitatione † item veterani excuſantur, *per l.vlt.§.pen.ff.de munere.*

muner. Capitatio capitis est census † seu tributum, vt apparet ex *l.* 11
vnica, C. de capitat. ciuium, lib. 11. l. fin. §. qui annonam, ibi exactores pecuniæ pro capitibus, ff. de muneribus, l. vnica, C de colonis Thracens. lib. 11. l. 1. C. vt rusticani ad nullum obsequium &c. d. libr. l. sacrosancta, 8. C. de sacrosanct. Ecclesiis, l. in Ecclesiis, 11. l. quisquis, 16. C. de Episcopis & cleric. & pluribus aliis. Et proinde patrimonii munus. Sic a deportatorio † one- 12
re eos immunes esse, ait *d. l. 1. in fine, C. de veteranis.* Idque Bartolus,
Iohan. de Platea, & † alii, interpretantur de pedagiis, passagiis, por- 13
toriis, hoc est, vectigalibus, quæ pontem vel locum quemcunque transeuntes soluere tenentur. Et hoc veteranis indultum, non absonum quidem a vero est: sed cum lex ibi de personali magis onere loqui videatur, cum item non sat planum sit, quomodo deportatorium onus de portoriis accipi possit: potius forsitan de eo munere Imperatorem sensisse credendum erit, cuius sit inter cetera personalia mentio *in l. vlt. §. tyronum, ibi, vel res peruehendæ siue persequendæ, vel pecuniæ fiscalis, siue annonæ vel vestis, ff. de muneribus, & in l. 2. §. quem ita senio, ibi, munere perferendæ pecuniæ ff. de vacation.* Deportare enim idem esse proprie, quod perferre, peruehere, notum est apud Latinos. Vnde deportatorium onus de cura perferendæ pecuniæ fiscalis, annonæ, vestium pro militibus, & similium rerum, non male accipietur. Et facit *d. l. 2. d. §.* eum, qui senio aut corporis imbecillitate (non aliena a veteranis) vexatur, ab hac cura excusari iubens.
Sed de his liberum est cuiusq; iudicium. Ne † item a magistratibus 14
aut vectigalibus, in quibuscunq; nundinis interfuerint, vlla ob venditionem proponendam dare cogantur, adeoque ab omni publicanorum vexatione liberi sint & immunes, sanciuit *d. l. 1. C. de veteranis.* Verba, vt *solent agentibus supplere, seu superpellere,* Iohan. de Platea interpretatur de consuetudine publicanorum, qua res agentium seu mercatorum inspicere, visitare, seu reuidere, vt ipse loquitur, solent. Denique † & fisco suo Imper. interdicit, ne quem de 15
his inquietet, &c. Quorum † omnium velut appendix quædam est, 16
quod cum alii ciues & incolæ manifestas etiam excusationes habentes, appellare nihilominus teneantur, *l. ciues, 11. C. de appellationibus,* veterani tamen, si contra hanc immunitatem ad munera vocantur, ne prouocare quidem necesse habent, *l. 9. C. quando prouocare non est necesse.* Excusare autem vtiq; se debent, *l. 2. C. de excus. vet.* alias minus agnouisse videntur, *gloss. in dict. leg. 9. per legem vltimam, in fine, ff. de veteran.* Ex quibus omnibus, quid veteranis præsens

priuilegium conferat, quarumq; rerum immunitatem præstet, satis clarum esse euidensq; opinor.

De auctore, de occasione, ceterisque caussis, tam huius, quam
17 reliquorum priuilegiorum supra dictum est. Personalia † item hæc priuilegia omnia esse ostendi: quod vel ex hoc præsenti maxime cernere licet. Id enim ne ad liberos quidem veteranorum transit, *l. in honoribus, 8. §. 2. ff. de vacation. muner. Iacobus Cuiacius, libro 24. obseruat. cap. 23.* quamuis alia quædam ad primi gradus liberos soleant extendi.

Interpretationem huius priuilegii veramque sententiæ declarationem, maiore ex parte in hactenus dictis contineri arbitror.
18 Illud notandum, honeste † sacramento solutis (in quibus sunt etiã ob caussam honeste missis, *l. 8. §. ita autem, ff. de excus. tut.*) datas immunitates, non solum in iis locis, in quibus originem habent, sed etiam in eis ciuitatibus apud quas incolæ sunt valere, *l. 2. in princ. ff.*
19 *de veteran.* Nec illud † minus obseruandum, cum duo sint genera honeste militia missorum, qui videlicet ob caussam, & qui post impleta stipendia mittuntur, ad hos magis priuilegii huius indulgentiam quam ad illos, (nisi & ipsi compleuerint militiæ tempus) pertingere: Qui enim vicesimum annum militiæ impleuit, honeste missione accepta, aut ob caussam dimissus, perpetuam habet immunitatem. Qui autẽ intra hos annos dimissus est, non habet continuam immunitatem: sed qui intra quinque annos militia solutus est, nullam sibi vindicabit immunitatem; qui post quinque annos, vnius anni habet immunitatem; qui post octo, biennii; qui post duodecim, triennii; qui post sexdecim, quadriennii, *leg. sed & milites, 8. §. 2. & 3. ff. de excusation.* Contra qui in cohortibus vrbanis permilitauit, licet ante annos viginti mittatur, perpetuam habet a tutelis excusationem, *d. l. & tit. §. scribit autem.*

In concursu huius priuilegii cum aliis considerando, inprimis
20 circa tutelas & curas exemplum habemus. Veterani enim, vt † dictum est, remissionem quidem habent tutelarum aduersus omneis priuatos: aduersus autem filios aliorum veteranorum priuilegio vti non possunt, *dict. leg. sed & milites, 8. leg. 2. Codic. de excusation. veteranor.* Coæqualitas enim honoris fortior videtur omni priuilegio, *dict. l. 8. in princip.* Et hoc est, quod in libro de priuilegiis iuris ciuilis ostendi, priuilegia æqualium virium mutuo tolli, & ad ius commune redigi. Quod si vero alias habuerint veterani

iustas

iustas tutelæ excusationes, velut numerum annorum, aut aliquid tale, quale & priuatos aduersus omneis excusare consueuit. eo vti non prohibentur, *dict. leg. 8.* Probe autem hoc loco notandum, hæc de filiis tantum, non de nepotibus conueteranorum intelligi. Hi enim eodem loco cum reliquis priuatis esse creduntur, *dict. l. 8. in princip.* Priuilegium namque & dignitas patris minus ad nepotes quam filios pertingit. Veruntamen vnam tantum vno tempore tutelam vel curam veterani suscipere tenentur: qua rursus finita, aliam recusare non possunt, *dict. l. 8. §. quæsitum, dict. l. 2. Codic. de excusat. veteranor.* Nihil autem differt, quomodo indigeant filii commilitones, tutore, vtrum emancipati, vel patre mortuo, *dict. l. 8. §. penultim.* Ceteræ huius generis quæstiones ex generalibus æstimandæ.

Reliquum est, vt de amissione quoq; huius priuilegii dicamus. sed cum de hoc nihil peculiare, præter ea, quæ *libr. 3. de priuileg. iuris ciuil.* de omnibus priuilegiis, & paulo ante in specie de priuilegiis veteranorum, vniuerse tradita sunt, dici possit: finem hoc loco faciemus.

PRIVILEGIVM II.

SVMMARIA.

1 *Veterani habent priuilegium castrensis peculij.*
2 *Auctor & origo huius priuilegij.*
3 *In peculio tamen isti iure communi vti debent.*
4 *De illo autem non testari solum, sed fideicommittere, legare, donare, & cetera, quæ patresfamiliarum agere possunt.*

ALterum veteranorum est priuilegium, quod ipsi, vt milites, si † filiifamiliarum sunt, peculium habent castrense, deque eo 1
testari, aut aliter statuere, tanquam patresfamiliæ possunt, *Institut. quibus non est permiss. fac. testament. l. vltim. Codic. de inofficioso testament. l. 114. in princ. de legat. 1. l. Arist. 9. ff. de iure codicill.* Atq; hoc priuilegium † initio tantum militantibus datum est, tam ex aucto 2
ritate D. Augusti quam Neruæ & Traiani: postea vero subscriptione D. Hadriani etiam dimissis a militia, id est, veteranis concessum est, *Institut. dict. loco.* Ex quibus apparet, priuilegium hoc a militibus ad veteranos translatum esse: atq; ita, quæ de illis dicta sunt, eadem de his accipienda. Hic tamen † vbique modus seruandus est, 3

vt testentur quidem & statuant de castrensi peculio, sed modo licito, hoc est, iure communi, *d. l. vlt. C. de inoffic. testam. l. ad veterani, 40. ff. ad leg Falcid. l. idem est, 13. §. 1. ff. de testam. milit.* Itaq; hæc tantum inter milites & veteranos differentia est: reliqua perinde in vtrisq; sunt æstimanda. Nam & peculium castrense veteranorum eodem definiendum est modo, quo militis peculium supra descripsimus: vt iura ibi allegata satis ostendunt, & facit *d. l. vlt. ibi, qui tempore quidem militiæ sibi peculium adquisierunt, militiam autem deposuerunt, Cod. de inoffic. testam.*

Illud quærere † aliquis posset, cum leges hoc priuilegium sancientes tantum de testamentis circa castrensia peculia loquantur: vtrum testari solum de castrensi peculio filii famil. veterani possint; an vero vt milites, non testari modo, sed fideicommittere, legare, donare, aut alio modo tanquam patresfamil. versari in peculio possint? Ego posterius affirmo, ex *l. filiusfam. 114. in princip. de legat. 1. & ex l. Aristo. 9 ff. de iure codicill.* Aiunt enim filiumfamilias veteranum licet sine testamento decedat, posse fideicommittere a patre, & codicillos facere: quia testamentum facere possit. Non enim debet, cui quod plus est licet, quod minus est non licere. Quare cum alia omnia, quæ de castrensi peculio statuere filiusfamil. veteranus potest, minora sint & leuiora iure testandi: merito & illa licere debent ei, cui hoc licet. Inprimis cum a militibus in veteranos deriuatum hoc priuilegium, dictæ leges, & ea re quasi idem esse, affirmẽt. Plura de hoc dicere supersedeo. Reliqua enim omnia partim in generali de priuilegiis doctrina, partim in militum priuilegiis definita sunt.

PRIVILEGIVM III.

SVMMA.

1 *Veterani in delictis separantur a ceteris ratione pœnarum.*
2 *Veteranis & liberis eorum in primo gradu idem honor habetur, qui decurionibus.*
3 *Quibus pœnis veterani non afficiantur, enarratum.*

HOc quoque priuilegium veteranis cum militibus commune
1 est. Habent enim inter cetera † etiam in delictis prærogatiuam, vt separentur a ceteris in pœnis, vt ait *l. 1. ff. de veteranis.* Vete-
2 ranis quippe † & liberis eorum (primi tantum gradus, vt definit *l. honor,*

l.honor.5.Codic.de pœnis) idem honor habetur, qui & decurionibus, *l.3.ff.de veteranis.* Itaque † pœna metalli vel operis publici non afficiuntur, nec ad bestias damnantur, neque fustibus cæduntur, neque furca suspenduntur, aut viui exuruntur, neque omnino plebeiorum pœnis vel quæstionibus subiiciuntur, *dict, l.1. & leg.3.ff.de veteran. l.Diuo.11.Codic.de quæstionibus, l.moris, 9.§.istæ fere, ff. de pœnis, l.3.& l.5.Codic.eodem titulo.* Sed in insulam relegantur, *dict.l.honor, 5.* Cetera in priuilegio militum septimo vicesimo, quod idem cum hoc est, fere descripta habes. Tu vale, lector: etsi quid peccatum, vt homini, & publicis nunc priuatisque curis distracto, ignosce. Deus te seruet, & omneis.

Finis huius Libri.





INDEX RERVM MEMORABILIVM ET PRÆCIPVARVM QVÆ IN HIS DE PRIVILEGIIS Militum libris continentur.

Numerus primus librum, secundus caput, tertius numerum marginalem notat.

A.

vbi

Codicil-

D.

E.

de Li-



FINIS.



